




STUDIA HESIODEA.

I.

DE RE METRICA.

COMMENTATIO ACADEMICA,

QUAM

VENIA AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHORUM LUNDENSIS

PRO GRADU PHILOSOPHICO

P. P.


JOHANNES PAULSON,

PHIL. LIC.

IN AUDITORIO VI A. D. IV IDUS DEC. H. A. M. X.

LUNDAE MDCCCLXXXVII,

TYPIS EXPRESSERUNT MALMSTRÖM ET SOC.



2.

Hac Studiorum Hesiodeorum parte iam formis descripta, in publicum prodierunt dissertationes duae, quae ad rem quam tractavi maxime pertinent. Quarum dissertationum altera Theocritum [1], altera hymnos Homericos [2] eadem fere ratione, qua ego carmina Hesiodea, in examen vocat. Quod autem haec Studiorum pars iam typis descripta erat, quum publici iuris factae sunt, effecit ut neque ad ea stabilienda, quae cum iis communia haberem, eas afferrem, neque dissererem, quae esset causa, si quo loco ab iis abhorrerem.

---

[1] *De Theocriti versu heroico. Scripsit Carolus Kunst.* (Dissertationes philologae Vindobonenses. Volum. I. Lipsiae et Pragae. MDCCCLXXXVII). De huius dissertationis laudibus quid censerem, ostendi in annalibus quae vocantur Nordisk Tidskrift for Filologi. Ny Række. VII, 4, pagg. 315—319.

[2] Eberhard: *Metrische Beobachtungen zu den Homerischen Hymnen. II.* (Cfr infra pag. 3, n. 1.) Magdeburg 1887.

Errata typothetae:

Pag.	2, v. 3 a. i.	*quorum*	pro	*quarum*
„	4, in columnis	*centum*	„	*centenis*
„	8, v. 2 a. i.	*sequente*	„	*sequenti*
„	14, v. 10 a. i.	*unum*	„	*unam*
„	23, v. 8 a. i.	*centenis*	„	*e centenis*
„	35, v. 2	*encliticarum*	„	*procliticarum*
„	49, v. 3	*indicavit*	„	*iudicavit*
„	61, n. 3, v. 4	*coniecit*	„	*coniecerunt*
„	67, n., v. 5	κληδόνι	„	κλεηδόνι
„	72 secundae notae appositum est signum *1* pro *2*			
„	„ v. 6, a. i.	ποτέ	„	ποτί
„	128, in med. pag.	τρυγηρήρ	„	τρυγητήρ

Cap. I.

De versuum figuris.

Poetae epici quum in quavis versus sede spondeum pro dactylo usurpare possint, licet aliae sedes facilius, difficilius aliae hunc omittant, illum accipiant, varias, prout miscent dactylos et spondeos, praebent versuum figuras. Ut in singulis versibus formandis eam secuti sunt legem, ut versus bene sonarent, ita etiam in continuanda versuum serie optimus quisque poeta efficere studuit ut, quum versus plane dactylici exciperent versus spondeis quoque sedes praebentes, similitudinis fastidium evitarent. Quare non is est optimus versuum fabricator, cuius versus singuli facillime currant, sed qui faciat versus diversarum formationum vicissim se sic excipere, ut totum poema non minus varietate, quam praebent inter se mixti versus diversi generis, quam elegantia singulorum versuum legentium animos delectet. Quam ob rem apud bonos poetas versus eiusdem schematis non deinceps plures sequuntur. Apud Hesiodum quidem nusquam plus quinque versus eiusdem schematis deinceps sequuntur [1]; cuius modi versus similes continuandi solum praebent exemplum Th. vv. 745—749 [2], qui, dactylis

[1] Ubi neque nominatim alium editorem neque libros manuscriptos sequor, utor Rzachii editione, quae in lucem prodiit Lipsiae MDCCCLXXXIIII *(Hesiodi quae feruntur omnia recensuit Aloisius Rzach)*.

[2] Hi ordines continent singulos vel binos versus, de quorum fide alii aliud censent. Sunt, qui ex Op. desecent vv. 825—828. Observare etiam licet orationem interdum in continuatis his versibus interrumpi, ut, si qua iis insit similitudo, aliquantum tollatur.

in ceteris sedibus positis, in prima sede utuntur spondeo; caesuram vero variant, ut evitetur molestum similitudinis fastidium. Praeterea hoc nomine annotandi sunt hi quaternorum versuum plane dactylicorum continui ordines: Th. 87—90, quae eiusdem formationis continuatio vix eo magis defatigat, quod eadem utuntur hi versus caesura, quae κατὰ τρίτον τροχαῖον vocatur, quae imprimis est legitima horum versuum caesura. 465—468 [1], 803—806 [1]. Sc. 85—88, 382—385 [1], 432—435; accedit una series quattuor versuum, qui in secunda sede ponunt spondeum, Th. 780—783; qui versuum ordines caesurarum similitudinem evitant. Op. nullam quattuor similium versuum continuationem exhibent.

Terni versus iisdem pedibus usi saepius inveniuntur; quorum hi ordines, quippe qui compositi sint e schematibus non admodum frequentibus, afferendi sunt: Th. 543—545, qui tertio pede spondeo utuntur, Th. 496—498 [1], Op. 826—828 [1], quorum pedes primus et secundus sunt spondei, Op. 209—211, quorum prima et tertia sedes utuntur spondeis, Op. 703—705 [2], qui spondeos in secunda et quarta sede collocant [3].

Si summam collegimus omnium formarum, quibus indui potest versus heroicus, prout aut miscentur dactyli et spondei, aut alterutrum pedum genus solum usurpatur, inveniemus triginta duas formas; quorum multae admodum rarae sunt. Duae non exstant apud Hesiodum, eas dico, quae spondeos ponit in sedibus II, III, IV, V [4], et quae est sincera spon-

---

[1] Vide n. 2 pag. 1.

[2] Op. 705 secundum libros mss. etiam tertium pedem dat spondeo:

εὕει ἄτερ δαλοῦ καὶ ὠμῷ γήραϊ δῶκεν.

Jure haud dubie Rzach. Stobaeum. Floril., sequens, excudit δαλοῖο καί. Aliae corrigendi rationes sunt δαλοῦ τε καί et δαλοῦ καὶ ἐν ὠμῷ γήραϊ θῆκεν (non δῶκεν). Vide Rzachii apparatum criticum.

[3] Il. I. (in afferendis Il. carminibus I—XII sequor editionem Rzachii: *Homeri Iliadis carmina edidit Aloisius Rzach. Pars prior. Carm. I—XII. Lipsiae MDCCCLXXXVI)* semel quinque versus plane dactylicos deinceps sequi facit. 95—99: caesuram variant. Nusquam idem schema per quaternos deinceps sequentes versus continuatur, quibusdam locis per ternos, ut 293—295, 388—390, qui a binis spondeis incipiunt. Ceteri ternorum versuum ordines schema usitatius adhibent. Neque facile invenias apud Nonnum longiores eiusdem schematis continuationes, quamquam constat eum longe inter se similiores reddere versus.

[4] Exemplum huius figurae afferunt R.-W. *(= Metrik der Griechischen Dramatiker und Lyriker von A. Rossbach und R. Westphal)* III, pag. 23. Il. I, 11:

οὕνεκα τὸν Χρύσην ἠτίμησ' ἀρητῆρα.

daica [1]. Viginti sex communes sunt tribus Hesiodeis carminibus [2]. Th., quae exhibet viginti septem versuum formationes, omnes cum Sc. communes habet; Sc., quod utitur undetriginta formis, sibi duas habet, quae in imparibus sedibus locum praebet spondeis, et quae, secunda sede excepta, meris spondeis utitur. Illam invenimus v. 244:

ζωῇσιν ἴκελαι, ἔργα κλυτοῦ Ἡφαίστοιο·

et v. 381: Ἄρνη τ' ἠδ' Ἑλίκη Ἄνθειά τε ποιήεσσα·

Quo in versu La Roche, Rzach, alii exarant ἠτίμασεν, Unde sequitur, ut apud R.-W. exstent viginti quattuor versus formandi rationes in Il. I usurpatae, quum ego viginti tres tantum invenerim.

[1] R.-W., III, pag. 24 afferunt Il. XI, 130:

Ἀτρείδης· τὼ δ' αὖτ' ἐκ δίφρου γουναζέσθην.

Rzach, diaeresi usus, legit Ἀτρεΐδης, primum spondeum evitans. De ceteris versibus plane spondaicis apud Homerum vide Ludwichium *(Aristarchs Homerische Textkritik nach den Fragmenten des Didymos dargestellt und beurtheilt von Arthur Ludwich I, II. Leipzig, 1884, 1885)*, II, pag. 314, sqq., qui defendere conatur „gravitatem spondeorum", castigans Nauckium aliosque, qui diaeresi aliisque remediis dactylos e spondeis creent. Ex hymno in Apollinem Delium Eberhard *(Metrische Beobachtungen zu den Homerischen Hymnen. Magdeburg 1886.* In *Bericht über das Königl. Dom-Gymnasium)* pag. 4, unum versum plane spondaicum affert, 31:

νῆσός τ' Αἰγίνης ναυσικλειτή τ' Εὔβοια·

ubi, quibus diaeresis placet, legere possunt ναυσικλεϊτή. Posteriores epici poetae non agnoscunt hanc figuram plane spondaicam.

[2] Carminibus Hesiodeis cum Il. I communes sunt viginti duae versuum formationes. Secundum R.-W. III, pag. 20, sqq. carmina Homeri utuntur undetriginta modis formandi versus. Has figuras omittunt R.-W.: 1) quae spondeos in imparibus locis ponit; 2) quae dactylo reservat quartum pedem; 3) quae secundum pedem dactylo tribuit. Sed Ludwich etiam harum formandi rationum exempla praebet. Docet enim II, pag. 321 primae figurae versus exstare apud Homerum quadraginta unum, eius, quae dactylo reservat quartam sedem, septendecim, quae secundam sedem dactylo tribuit, septem versus praebere. Cfr etiam pagg. 323, 324.

Hoc loco animadvertere licet R.-W. in recensendis Il. I versuum formis falsos esse. Carmen enim habet 611 versus; si autem summam facimus numerorum, quos ipsi apposuerunt singulis e primo carmine petitis formis, inveniemus tantum 602. Alexanderson, Grekisk Metrik, § 68, R.-W. auctores sequens, insuper fallit, quod omisit schema, cuius tertius et quartus pedes sunt spondei; quod secundum R.-W. ter invenitur, quater exstat in editione La Rochiana, 37, 337, 451, 552, septies in Rzachiana: 7, 37, 79, 146, 411, 451, 552. Qui quum ita agant, necesse esse duxi carmen examinare ipsum. Accedit, quod, quum Rzachii editionem carminum Hesiodeorum sequerer, e re credidi esse eiusdem editoris sequi Homerum, ut utriusque poetae carmina ad eandem fere rationem constituta haberem.

hanc autem v. 138:

ἤ τ' εἴρυτο κάρη Ἡρακλῆος θείοιο·

Op., in quibus exstant viginti septem versuum formationes, unam exhibent alienam a Th. et Sc., quae duo priores pedes dactylis dat; quae bis exstat, v. 464: νειὸς ἀλεξιάρη παίδων εὐκηλήτειρα·

et v. 716: μηδὲ κακῶν ἕταρον μηδ' ἐσθλῶν νεικεστῆρα [1].

Ut facilius perlustrare possis, quotiens singulae versuum formae exstent, has addidi tabellas:

	Il. I (611 vv.)		Th. (1022)		Sc. (480)		Op. (828)	
	quot versus utantur	i. e. e centum	quot versus utantur	i. e. e centum	quot versus utantur	i. e. e centum	quot versus utantur	i. e. e centum
quinis dactylis	134	21,9	211	20,7	90	18,7	122	14,7
spondeo in pede I	97	15,9	136	13,3	56	11,7	90	10,9
„ „ „ II	97	15,9	153	15,0	70	14,6	139	16,8
„ „ „ III	28	4,6	45	4,4	33	6,9	34	4,1
„ „ „ IV	58	9,5	71	6,9	43	9,0	57	6,9
„ „ „ V	8	1,3	10	1,0	6	1,3	10	1,2
„ „ pedibus I, II	45	7,4	96	9,4	34	7,1	78	9,4
„ „ „ I, III	11	1,8	31	3,0	13	2,7	28	3,4
„ „ „ I, IV	25	4,1	60	5,9	23	4,8	49	5,9
„ „ „ I, V	6	1,0	11	1,0	10	2,1	4	0,5
„ „ „ II, III	14	2,3	17	1,7	14	2,9	38	4,6
„ „ „ II, IV	33	5,5	65	6,4	29	6,0	50	6,0
„ „ „ II, V	6	1,0	9	0,9	7	1,5	9	1,1
„ „ „ III, IV	7	1,2	10	1,0	10	2,1	17	2,1
„ „ „ III, V	3	0,5	6	0,6	2	0,4	5	0,6
„ „ „ IV, V	1	0,2	6	0,6	3	0,6	2	0,3
„ „ „ I, II, III	4	0,7	17	1,7	4	0,8	17	2,0
„ „ „ I, II, IV	18	2,9	32	3,1	12	2,5	28	3,4
„ „ „ I, II, V			6	0,6	1	0,2	4	0,5
„ „ „ I, III, IV	9	1,5	8	0,8	6	1,3	12	1,4
„ „ „ I, III, V					2	0,4		

[1] Huius figurae unum praebet Il. I exemplar, v. 339:

πρός τε θεῶν μακάρων πρός τε θνητῶν ἀνθρώπων.

Tredecim tales versus affert ex Homero Ludwich, II, pag. 323.

spondeo in pedibus I, IV, V			7	0,7	3	0,6		
„ „ „ II, III, IV	3	0,5	2	0,2	2	0,4	16	1,9
„ „ „ II, III, V	1	0,2	1	0,1	1	0,2	6	0,7
„ „ „ II, IV, V			4	0,4	2	0,4	1	0,1
„ „ „ III, IV, V	1	0,2					2	0,2
„ „ „ I, II, III, IV	2	0,3	4	0,4	1	0,2	5	0,6
„ „ „ I, II, III, V			1	0,1	1	0,2	2	0,2
„ „ „ I, II, IV, V			3	0,3	1	0,2	3	0,4
„ „ „ I, III, IV, V					1	0,2		
	611		1022		480		1028	

Ex his tabellis elucet Il. I pro carminum ambitu plures exhibere versus plane dactylicos quam carmina Hesiodea. Quin, si inter se comparamus Il. I et Op., apparet illud carmen tertia parte horum versuum haec superare [1].

Nunc ut de spondeis loquar, qui nobis in hexametris Hesiodi occurrunt, manifestum est Op. magis quam Th. aut Sc. inclinare ad usurpandos spondeos. Quum Th. usa sit 1300 spondeis = 25,4, si pedum summam subducimus — sexti scilicet pedis rationem non habeo —, Sc. 613 = 25,5, in Op. nobis occurrunt 1188 = 28,7. Longius etiam distant ab Il. I, quod praebet 706 spondeos = 23,1. Deterius etiam se habent Op., si consideramus, quo modo in versus distributi sint spondei; quod ex his columnis apparet:

exstant enim in	Il. I		Th.		Sc.		Op.	
versus singulis spondeis usi	288	47,1	415	40,5	208	43,3	330	39,8
„ binis „ „	151	24,7	311	30,4	145	30,2	280	33,8
„ ternis „ „	36	5,9	77	7,5	33	6,9	86	10,4
„ quaternis „ „ [2]	2	0,3	8	0,8	4	0,8	10	1,2

[1] De Homeri hymnis quinque prioribus licet ex Eberhardio pagg. 4, 5 comparandi causa afferre primum hymnum (178 vv.) praebere 23 versus plane dactylicos = 12,9, secundum (368 vv.) 60 = 16,3, tertium (580 vv.) 152 (154 secundum Ludwichium II, pag. 309) = 26,2, quartum (293 vv.) 45 = 15,4, quintum (478 vv.) 102 = 21,3.

[2] Exstant in hymno

	I (178 vv.)		II (368)		III (580)		IV (293)		V (478)	
versus singulis spondeis usi	69	38,8	148	40,2	255	44,0	121	41,3	191	40,0
„ binis „ „	53	29,8	120	32,6	135	23,3	91	31,1	145	30,3
„ ternis „ „	29	16,3	37	10,1	33	5,7	34	11,7	39	8,2
„ quaternis „ „	3	1,7	4	1,1	3	0,5	2	0,7	1	0,2
„ quinis „ „	1	0,6								

Eberhard, l. l.

Quamquam enim pro numero versuum Op. plures adhibent spondeos quam cetera carmina examinata, tamen, ut supra vidimus in iis longe rariores quam in his esse versus totos dactylis usos, ita invenimus h. l. rariores in Op. nobis obvios esse versus singulis spondeis usos; quod genus versuum admodum facile currit; unde fit ut necesse sit eo crebriores exhibeant Op. versus minus molles, qui binis aut pluribus spondeis utuntur; cuius generis versus, quum Il. I exhibeat 189 = 30,9, Th. 396 = 38,7, Sc. 182 = 37,9 in Op. exstant 376 = 45,4. Ratione habita eorum tantum versuum, qui ternis aut quaternis utuntur spondeis, apparet Il. I nobis praebere 38 = 6,2, Th. 85 = 8,3, Sc. 37 = 7,7, in Op. autem nobis occurrere 96 = 11,6. Quibus ex numeris observare licet Il. I exquisitiore uti re metrica quam carmina Hesiodea; quorum longe deterrimam sequuntur Op. [1].

Ex columnis, quae sequuntur, apparebit, quas sedes imprimis teneat spondeus. Exstant enim

versus, qui in	Il. I		Th.		Sc.		Op.	
in prima sede utuntur spondeo,	217	35,5	412	40,3	168	35,0	320	38,6
„ secunda „ „ „	223	36,5	410	40,1	179	37,3	396	47,8
„ tertia „ „ „	83	13,6	142	13,9	90	18,8	182	22,0
„ quarta „ „ „	157	25,7	272	26,6	136	28,3	242	29,2
„ quinta „ „ „ [2]	26	4,3	64	6,3	40	8,3	48	5,8

[1] Hymnus I superat Op.; exhibet enim 86 versus = 48,9, qui binis aut pluribus spondeis utuntur; eum sequitur hymnus II, qui praebet 161 = 43,7, neque longo intervallo ab hoc IV hymnus, in quo exstant 127 = 43,3; deinde hymnus V, in quo huius generis versus sunt 185 = 38,7; ad extremum, longo spatio intercedente, hymnus III, in quo huius modi versus nobis occurrunt 171 = 29,5.

[2] Quod ad hymnos attinet, exstant

versus in	I		II		III		IV		V	
qui in prima sede utuntur spondeo	75	42,4	139	37.8	197	34,0	130	44,4	157	32,8
„ „ secunda „ „ „	84	47,2	161	43,7	190	32.8	122	41,6	174	36,4
„ „ tertia „ „ „	45	25.3	84	22,8	80	13,8	59	20,1	80	16,3
„ „ quarta „ „ „	55	30,9	95	25,8	133	22,9	74	25,3	137	28.7
„ „ quinta „ „ „	20	11,2	37	10,1	38	6,6	28	9,6	63	13.2

Eberhard, pag. 6, sqq.

Mirum dico, quod in hexametro dactylico tam saepe spondeus occupat primam sedem. Crederes perquam necesse esse versum incipere ab illo pede, unde nomen ei inditum est. Neque tam est mirandum, quod in versibus, qui pluribus spondeis utuntur singuli, primam fere sedem spondeus occupat; versus enim elegantia poscit, ut dactyli interserantur inter spondeos, ideoque necessario saepe spondeus in initio versus ponitur, ut in interiore versu locus dactylo paretur; invenimus etiam, si rationem habemus versuum, qui ternis aut quaternis spondeis utuntur, spondeum saepius nobis occurrere in primo quam in secundo loco, exceptis Op. Eorum enim versuum

in	Il. I	Th.	Sc.	Op.
spondeum in prima sede ponunt	33	78	32	71
„ „ secunda „ „	28	70	25	81

summa autem versuum collecta, saepius in secundo quam in primo loco collocatur spondeus (Th. excipimus, quae utriusque harum sedium spondeos fere aequat); magis est mirandum, quod versus singulis aut binis spondeis usi tam saepe primam sedem dant spondeo. R.-W., III, pag. 21 docent spondeum in hac sede collocari, ut gravius incipiat versus. Nescio an melius dicamus eam legem, quae dissuadet, ne quintus pes sit spondeus, ut hexameter in clausulam dactylicam exeat, etiam sinere eum a rhythmo spondaico incipere, ut hoc sit eius quasi aversa pagella.

Secundus pes omnium est aptissimus accipiendo spondeo. Nam in hoc loco neque spondeus versum reddit tardius fluentem, et tam longe abest a fine, ut rhythmo dactylico minimum damni afferatur; quare etiam in carminibus, quae examinavi, ceteris pedibus saepius est spondeus; de Th. vide paulo supra. At spondeus longe rarior quam in his sedibus nobis occurrit in tertia sede. Nam ubi tertius pes spondeus erat, quum versus in alterum spondeum — vel in trochaeum, ultima syllaba ancipiti — exiret, facile versus in duas partes aequales dividebatur. Quod ne fieret, lex erat ut tertius pes spondeus aut incideretur, ut, incisione facta, eius arsis cum sequente versus parte iungeretur, aut, omissa caesura, verbum tertium pedem complectens etiam partem pedis quarti comprehenderet; — de qua re infra in capite de caesuris uberius agendum erit —; quare

mirum non debet videri rariorem esse spondeum tertii pedis talibus legibus circumscriptum [1]. Quartum vero pedem non abnuere spondeum elucet vel ex ea re, quod positus est inter pedes, qui ceteris magis dactylos requirunt [2]; ut, spondeo in hac sede collocato, raro se excipiant similes pedes. Quintus autem pes omnium est alienissimus a spondeo, quoniam versus, qui in hoc pede spondeos usurpant, paene in rhythmum spondaicum abeunt; ut etiam spondaici vocantur. Quod tales versus frequentiores sunt in Sc. quam in ceteris carminibus examinatis (duplo fere crebriores quam in Il. I), licet monere eorum frequentiam magis magisque ita augeri ut Alexandrinorum temporibus quintae sedis spondei interdum vincant eos, quos tertia sedes exhibet. Ludwich II, pag. 330. Videtur sane spondeorum quintae sedis frequentia, quo propius accedimus ad Alexandrinorum aetatem, eo magis augeri, quum inter carmina Hesiodea Sc., quod ceteris recentioris temporis est, imprimis eos frequentet, magisque etiam omnino Hymni V priores; vide pag. 6, n. 2; qui hoc nomine sic se habent, ut III hymnus proxime accedat ad Th., ceteri hoc ordine IV, II, I, V (in quo non longe inter se distant tertiae et quintae sedis spondei) Sc. frequentia spondeorum quinti pedis superent. Sed etiam observare licet eandem aetatem alia carmina praebere, quae quintae sedis spondeos evitare conantur; cuius rei exempla videre licet apud Ludwichium II, pag. 327 sqq. Haec, quae inter se contraria sunt, credo posita esse in ea re, quod poetae non quasi uno conspectu comprehendebant leges versus hexametri, sed tum de hac, tum de illa re metrica cogitabant; unde saepe factum est, ut hoc melius, illud deterius redderent. Quare si quis ex his rebus metricis de carminum temporibus concludere velit, maxima adhibenda est cautio.

E sequente tabula apparebit, qui pedes spondaici facillime cum singulis spondeis iungantur; cum altero spondeo iungitur

---

[1] Libri mss. duos exhibent versus. Sc. 199 et 202, has leges violantes; de quibus infra.

[2] Singulare iure dicimus id, quod in hymno XXVII duplo plures spondeos praebet tertia sedes quam quarta. Confer etiam h. h. XVI, XXXI. Eberhard, pag. 8. Concludere licet eum ab homine arti rudi confectum esse, si quid omnino e tam parvo carmine concludere licet. Confer tamen de spondeorum sedibus Ludwichium II, pag. 327, sqq.

in	Il. I		Th.		Sc.		Op.	
primus pes spondeus	87	14,2	198	19,4	80	16,6	159	19,2
secundus „ „	98	16,0	187	18,3	84	17,7	175	21,1
tertius „ „	35	5,7	64	6,3	38	8,1	88	10,6
quartus „ „	66	10,8	141	13,8	65	13,5	118	14,2
quintus „ „	16	2,6	32	3,1	22	4,6	20	2,4

Confer quae diximus supra pag. 7 in init. Il. I et Th. praestant Scuto et Operibus. Nam quum illa carmina triplo fere saepius cum primo aut secundo pede spondeo alterum spondeum iungant, Sc. duplo fere saepius tantum, Op. ne duplo quidem saepius alterutrum priorum pedum quam tertium cum altero spondeo iungunt. Praeterea observandum est e decem versuum figuris, quae binis spondeis utuntur, quorum versuum summam vidimus pag. 5 esse in Il. I 151, Th. 311, Sc. 145, Op. 280, ceteris usitatiorem esse eam, quae a duobus spondeis incipit. Quae non longe abest, quin tertiam versuum horum partem capiat: in Il. I e centenis versibus 29,8 (= 45), Th. 30,9 (= 96), Sc. 23,4 (= 34), Op. 27,9 (= 78). Tum sequitur per omnia carmina examinata ea figura, quae in sedibus secunda et quarta spondeis utitur: Il. I 33 = 21,9, Th. 65 = 20,9, Sc. 29 = 20,0, Op. 50 = 17,9. Paulo rarior nobis occurrit ea figura, quae spondeos collocat in prima et quarta sedibus: Il. I 25 = 16,6, Th. 60 = 19,3, Sc. 23 = 15,9, Op. 49 = 17,5. Facile mirum videtur, quod haec figura non illam frequentia superat. Nam ut tertium pedem spondeum magnopere evitant, ne in duas partes similiter cadentes dividatur versus, ita etiam evitare debuerunt secundum et quartum spondeos iunctos, ne tres versiculi similes (adonii) evaderent. Scilicet caesurae est prohibere, ne id fiat. Tum sequitur figura, quae spondeos collocat in secunda et tertia sede: Il. I 14 = 9,3, Th. 17 = 5,6, Sc. 14 = 9,7, Op. 38 = 13,6. Qua tamen in Th. frequentior est ea, cuius primus et tertius pedes sunt spondei; quae nobis obvia est tricies semel = 10,0; in Il. I, 11 = 7,3, Sc. 13 = 9,0, Op. 28 = 10,0. Rarissimae exstant figurae, quae aut quartam et quintam aut tertiam et quintam sedes tribuunt spondeis. Ceterae figurae, ut his frequentiores, ita illis rariores sunt.

Ad extremum has tabellas addam, quae ostendant, quibus pedibus spondeis saepissime addantur bini spondei. Confer supra pag. 7.

Iunguntur bini spondei in	Il. I		Th.		Sc.		Op.	
cum primo pede spondeo	31	5,1	70	6,8	28	5,8	61	7,4
„ secundo „ „	26	4,3	62	6,1	22	4,6	72	8,7
„ tertio „ „	18	2,9	28	2,7	15	3,1	53	6,4
„ quarto „ „	31	5,1	53	5,2	25	5,2	59	7,1
„ quinto „ „	2	0,3	18	1,8	9	1,9	13	1,6

Il. I dimidia pars horum versuum (18 e 36) spondeos ponunt in prima, secunda et quarta sedibus, quas ceteris magis apparet sine versus damno spondeos accipere. Carmina Hesiodea non ita: Th. enim e 77 versibus, qui ternis spondeis utuntur, in his sedibus 32 = 41,6 spondeos collocare facit, Sc. 12 e 33 = 36,3, Op. 28 ex 86 = 32,6. Unde emergit vel hoc nomine Op. deteriorem artem sequi, quum duriores figurae, quae tertium spondeum cum binis aliis iungunt, eo crebriores sint; quas ceteris carminibus plus duplo saepius frequentant. Versus e tribus spondeis incipientes imprimis placent Th. et Op.: illa eiusmodi versus exhibet 17 e 77 = 22,1 haec 17 ex 86 = 19,8, quum Il I et Sc. quaternos praebeant. Op. sola favent versibus, qui spondeos ponunt in secunda, tertia et quarta sedibus, cuius generis sedecim exstant = 18,6; versus id genus nobis obvii sunt in Il. I tres, in Th. et Sc. bini. Videtur etiam Il. I magis quam carmina Hesiodea reformidasse a quinto pede spondeo iungendo cum binis spondeis.

Iam diximus pag. 3, n. 1 Ludwichium spondeorum gravitatem defendere eosque improbare, qui diaeresi aliisque remediis, spondeis summotis, dactylos efficiant. Ostendit II, pag. 301 sqq. spondeos omnino frequentiores esse apud antiquiores poetas quam apud posteriores, et versus hexametros paulatim formam magis dactylicam sibi ascivisse, ut, quum apud Homerum e centenis pedibus viceni fere seni spondei sint, Apollonius Rhodius ex eodem numero vicenos ternos, Callimachus fere vicenos singulos, Nonnus senos denos fere spondeos exhibeat. Quare qui spondeos, ubi fieri possit, dissolvant, gravitatem carminum Homericorum minuere contendit.

Re vera, spondeis dissolutis, non nihil mutatur carminum forma. Ex editione Rzachii — qui in dissolvendis spondeis maxima utitur modestia — annotavi ex Il. I quadraginta quattuor dissolutionis exem-

pla [1]. Apparet, qui maiore audacia utuntur, longe magis Homerum transformare posse. Quos ut moneo, ne incaute agant, ita Ludwichium probare non possum. Haec fere in eum afferenda esse duco.

Quod docet posteriores poetas magis fugisse spondeos, Homerum autem eorum gravitatem sensisse eamque ob rem eos frequentasse, — ut omittam carmina Hesiodea et hymnorum maximam partem spondeorum frequentia superare carmina Homeri, quamquam posterioris temporis sunt —, nescio an alio modo hoc sit explicandum. Quo longius recedimus ab Homeri temporibus, eo magis epica poesis obnoxia fit arti. Ars sane non abest ab Homeri carminibus, sed magis est tamquam coalita cum ipsis rebus, ad quas narrandas adhibetur. Apud posteriores poetas non ita. Epica poesis iis erat renata antiquitas. Facile iis erat externam epicae poesis formam in usum revocare, vitam ipsam antiquam, sensus, unde tamquam e fonte ars epica deducenda erat, revocare non poterant. Quare etiam externam formam singulari cura excolebant, et magis quam Homerus removebant e vivo, quem homines colebant, sermone. Quemadmodum res, quas tractabat epica poesis Homeri, tamquam e medio sumptae erant neque e longinquo petitae, ita etiam ars ipsa eius minus subtilis erat, id imprimis petens ut, salvis metri legibus, iucunda varietate legentium vel potius audientium animos delectaret. Spondeorum igitur frequentia, qua Homerus utitur, mihi videtur potius explicanda esse ex ipso sermone graeco, qui spondeos et dactylos miscet, quam e gravitate quadam, quam versibus parare studebat Homerus, infrequentiam autem eorum apud posteriores poetas ex ea re, quod, relicto sermone vivo, operam dabant ut ars excelleret [2]. Praeterea spondeos non solum ob gravitatem suam frequentari apud Homerum vel inde mihi elucere videtur, quod primaria versus hexametri forma, si eam quaerimus, haud dubie est ea, quae quinque dac-

---

[1] Prima sedes exhibet duodeviginti, secunda sedecim, tertia duo, quarta et quinta quaterna. Dissolvitur ἀάτης semel (412), Αἰγεΐδης semel (265), Ἀργέϊος quater (79, 119, 382, 445), Ἀτρεΐδης vicies semel (7, 12, 16, 17, 24, 59, 102, 122, 191, 203, 224, 232, 247, 282, 308, 313, 355, 369, 375, 378, 411), Ἀτρεΐων semel (387), ἐΰ quinquies [19, 129 (ἐϋτείχεος), 164, 185, 515], κόϊλος bis (26, 89,) Πατρόκλεες semel (337), Πηλεΐδης quinquies (146, 223, 245, 277, 306) Πηλεΐων bis (188, 197). Alia dissolutionis exempla nobis obvia sunt etiam apud editores, qui omnino dissolutionem non persequuntur, ut Ἄργεϊ, v. 30.

[2] Observandum est sermonem graecum ipsum numerum spondeorum auxisse, minuisse dactylorum. Unde melius etiam elucet, quantum ars valuerit apud posteriores epicos.

tylis utitur; quare nescio an spondei tantum liciti fuerint, variandi causa adhibiti. Vereor ne is, qui contendit spondeos usurpari ad gravitatem versus augendam, eodem modo fallatur ac si quis diceret spondeos (vel potius anapaestos) inter iambos interseri ad augendam gravitatem trimetri iambici.

Confiteor id, quod spondei quidam apud Homerum eosque, qui eum sequuntur, dissolvi in dactylos possunt, non ostendere eos etiam dissolvi debere. Sed antequam negemus hanc spondeorum dissolutionem, debemus haud dubie quaerere, num apud quosvis poetas liceat eodem modo spondeos cum dactylis mutare. Si apud posteriores poetas non licet, inde, qui dissolvere amant, argumentum petere possunt, quo defendant dissolutionem apud antiquiores poetas, qui eam patiuntur. Si quid mihi licet contendere, qui in hanc rem vix inquisivi, videntur ii, qui dissolvunt, non carere hoc argumento. Tum accedit, quod spondeos, quos defendit Ludwich, si, qua via ortae sint formae, quaerimus, e formis dactylicis iis, quas alii restituere conantur, ortos esse negari non potest. Neque librorum spondeos exhibentium magna est hac in re auctoritas.

Neque contemnendum est id argumentum, quod multi versus, diaeresi adhibita, molliores redduntur, ut Il. I, 185, ubi clausula est ὄφρ᾽ εὖ (ἐΰ) εἰδῇς, Op. 574, ἠῶ (ἠόα) κοῖτον, licet fortasse confitendum sit caesuram post quintum spondeum non prorsus alienam esse ab epicis carminibus. Animadvertit Ludwich II, pag. 324, figurae plane spondaicae mentionem faciens, eos, qui, diaeresi usi, omnino nihil aliud efficiant quam ut versus rara figura usos in aliam non multum frequentiorem abire faciant, operam perdere. Sed observandum est, diaeresi adhibita, per omnes versuum figuras versus e durioribus et rarioribus in molliores et frequentiores transferri.

Ludwichium igitur, ipsa frequentia spondeorum frequentiam defendentem, non probo, neque spondeorum gravitati multum tribuendum duco. Nescio an ex ea re, quod hiatuum copia apud Homerum maior est, quam apud posteriores epicos, eodem modo contendere liceat iniuria doceri magnam partem eorum digammo tolli debere.

Sextae sedis adhuc non habui rationem. Neque credo operae pretium esse de ea quaerere. Haud enim dubie poetae nullius momenti iudicarunt esse, utrum spondeus an trochaeus eam occuparet. Ego quidem non eru-

ere potui, quibus legibus circumscriptus sit usus horum pedum in hac sede. Ne tamen prorsus omittatur, annotavi

in Il I	335	versus	= 54,8	in	spondeos,	276	= 45,2	in	trochaeos	exire;
„ Th.	487	„	= 47,7	„	„	, 535	= 52,3	„	„	„
„ Sc.	235	„	= 49,0	„	„	, 245	= 51,0	„	„	„
„ Op.	470	„	= 56,8	„	„	, 358	= 43,2	„	„	„

Cap. II.

De caesuris.

Versus hexameter dactylicus in quovis loco incisiones praebet. Quare etiam Hermann mentionem fecit de sedecim hexametri plane dactylici caesuris. Sed apparet maiorem earum partem, casu oblatam, nullius momenti esse versus elegantiae. Ut tamen eruatur, quae incisiones imprimis versus elegantiam augeant, e re credidi esse quaerere, quotiens omnino singulae incisiones nobis obviae sint. Haud enim dubie emerget eas incisiones maxime frequentari, quae ad versus elegantiam spectant. Quum vero manifestum sit pedes dactylos non iisdem favere incisionibus atque pedes spondeos, ita rem institui, ut primum dactylorum, tum spondeorum incisiones exponam. Neque omittendum est me voces encliticas, quae vocantur et procliticas referre ad voces, quarum accentui obnoxiae sunt; ut Sc. 149:

σχετλίη, ἦ‿ρα νόον‿τε καὶ ἐκ‿φρένας εἵλετο φωτῶν.

Ut iure, praeeuntibus R.-W., encliticas voces iungo cum iis, quarum accentui obediunt, ita licet dubitare, num iure procliticas cum vocibus sequentibus iungam. Contra enim testantur versus, quales sunt Il. I, 132:

κλέπτε νόῳ, ἔπεὶ οὐ‿παρελεύσεαι οὐδέ με πείσεις.

Th. 466: τῷ δ'ἄρ' ὅ γ' οὐκ‿ἀλαοσκοπιὴν ἔχεν, ἀλλὰ δοκεύων —

Horum versuum elegantiae non parvi esse momenti videtur caesuram post οὐ(κ) ponere. Sed quum raro fiat ut versus poscat caesuram post procliticas, melius esse duxi versus, qui, ne manci sint, incisionem hanc sibi requirunt, e ceterorum numero eximere et singulos persequi. Quum nemo credat caesuram intercedere inter encliticas voces easque, quibus ἐγκλίνουσι,

consentaneum est omnino negare caesuram inter procliticas et eas, quibus προκλίνουσιν [1].

Sequuntur tabellae incisionum, quas praebent pedes dactylici, secundum frequentiam, quoad fieri potest, dispositarum.

Exstant in	Th.	Sc.	Op.	Tribus Hes. carminibus.
incisiones post tertium trochaeum	679	262	414	1355
„ „ quartum dactylum	500	220	405	1125
„ „ quintum trochaeum	387	200	361	948
„ „ quartam thesin	333	164	302	799
„ „ tertiam „	259	157	293	709
„ „ secundam „	297	154	200	651
„ „ quintum dactylum	240	131	273	644
„ „ primum „	267	119	226	612
„ „ primum trochaeum	227	136	209	572
„ „ quintam thesin	199	108	160	467
„ „ tertium dactylum	156	77	123	356
„ „ primam thesin	133	71	120	324
„ „ secundum trochaeum	127	55	99	281
„ „ secundum dactylum	86	46	59	191
„ „ quartum trochaeum	18	12	29	59
	3908	1912	3273	9093

Ex iis, quae pag. 5 de spondeorum copia annotavimus, apparet Th. exhibere 3810 dactylos, Sc. 1787, Op. 2952. Incisionum igitur numerus maior est quam dactylorum. Octo et nonaginta plures incisiones quam dactylos exhibet Th., centum viginti quinque Sc., Op. trecentas viginti unum. Unde apparet imprimis Op. incisionibus distinere pedes dactylicos.

Hae tabellae exhibent pedum spondaicorum incisiones ad eundem ordinem dispositae. Exstant in

	Th.	Sc.	Op.	Tribus Hes. carminibus.
incisiones post secundam thesin	242	97	220	559
„ „ primum spondeum	201	100	171	472
„ „ quartam thesin	155	76	159	390
„ „ tertiam „	131	86	172	389
„ „ quartum spondeum	86	31	75	192
„ „ primam thesin	71	43	63	177

[1] De encliticis vide Hoffmanni Quaestionum Homericarum I, § 2, de procliticis § 5. Qui docet caesuram observari post εἰ Il. XX, 102, et post οὐ Il. XXII, 387.

incisiones post secundum spondeum	59	26	66	151
„ „ tertium „	40	31	45	116
„ „ quintam thesin	19	5	13	37
„ „ quintum spondeum	1	—	1	2
	1005	495	985	2485

Supra invenimus incisionum numerum maiorem esse quam dactylorum; hic autem res contrario modo se habet. Spondei enim in Th. exstant 295 plures quam incisiones, in Sc. 118, in Op. 203. Ut supra, ita etiam hic apparet Op. imprimis incisionibus favere. Nam si distribuimus incisiones in pedes singulos, emergit e centenis dactylicis pedibus in Th. 2,6 binas exhibere incisiones, in Sc. 7,0, in Op. 10,9, e totidem autem pedibus spondaicis in Th. 22,7, in Sc. 19,2, in Op. 17,1 incisione carere. Additis incisionibus, quae post sextam thesin inveniuntur (Th. 15, Sc. 7, Op. 14), exhibent singuli versus apud Hesiodeum omnino quinas incisiones (in Th. 4,8, in Sc. 5,0, in Op. 5,2).

Sed hae incisiones non omnes eaedem sunt verae et firmae caesurae. Persaepe enim earum vim frangi observare licet, et his quidem imprimis causis:

A) Incisionis vis minuitur, ubi excipitur particulis semiencliticis μέν, δέ, γάρ; quas semiencliticas dico, quod, ut encliticae naturae participes esse apparet, ita accentum suum retinent, neque prorsus alius vocis accentui obnoxiae sunt. Encliticae autem naturae eas participes esse elucet ex ea re, quod non quemvis versus locum occupare possunt, sed ita omnino ponuntur, ut excipiant incisiones, quae infirmiores esse solent, in firmiores autem exeant; quod hae tabellae ostendunt:

Exstat particula semienclitica	μέν			δέ [1]			γάρ			Particularum exempla sunt			omnia
in	Th.	Sc.	Op.	Th.	Sc.	Op.	Th.	Sc.	Op.	Th.	Sc.	Op.	
in I thesi	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—
„ II „	15	6	18	6	7	9	14	5	16	35	18	43	96
„ III „	2	4	3	2	1	—	1	1	1	5	6	4	15
„ IV „	3	3	—	1	17	3	—	3	5	4	23	8	35
„ V „	—	—	—	—	2	1	—	1	—	—	3	1	4
„ VI „	1	—	—	—	—	—	—	—	—	1	—	—	1

[1] Scilicet locos omitto, ubi δέ elisione amittit vocalem.

in I dactyli arsi priore	8	6	4	26	13	31	2	1	2	36	20	37	93
„ II „ „ „	2	—	—	7	7	12	1	—	4	10	7	16	33
„ III „ „ „	2	1	5	32	11	28	2	1	6	36	13	39	88
„ IV „ „ „	—	—	—	5	3	12	—	—	—	5	3	12	20
„ V „ „ „	1	1	2	11	10	19	1	—	3	13	11	24	48
„ I „ „ altera	2	5	4	24	3	15	1	1	3	27	9	22	58
„ II „ „ „	—	—	1	3	6	4	—	—	—	3	6	5	14
„ III „ „ „	—	—	—	1	1	4	—	—	1	1	1	5	7
„ IV „ „ „	2	3	1	6	4	4	—	—	—	8	7	5	20
„ V „ „ „	—	4	2	10	4	10	—	—	—	10	8	12	30
„ I arsi spondaica	4	3	8	2	—	—	7	4	7	13	7	15	35
„ II „ „	4	1	3	—	1	—	—	1	7	4	3	10	17
„ III „ „	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—
„ IV „ „	—	—	—	—	1	—	—	—	—	—	1	—	1
„ V „ „	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—
„ VI „ „	—	—	—	—	—	—	1	—	—	1	—	—	1
	46	37	51	136	91	152	30	18	55	212	146	258	616

Quod ad theses attinet, planum est, cur primam sedem prorsus aspernentur hae particulae. Ibi enim non habent vocem, cui se adiungant. Neque sextae thesi eas placere apparet, ne in monosyllabum exeat versus; cuius rei unum exemplum invenimus in Th., v. 830, ubi sequitur in arsi altera semienclitica, γάρ:

παντοίην ὄπ' ἱεῖσαι, ἀθέσφατον· ἄλλοτε μὲν γάρ —

Quod ad ceteras theses attinet, constat e caesuris, quae inter pedes fiunt, firmissimam esse eam, quae quartum pedem a quinto distinet; quare etiam, id quod exspectamus, ceteris rarius quinta thesis accipit has voces semiencliticas; quattuor enim tantum exempla nobis obvia sunt, quorum tria in Sc.:

173: δοιοί, ἀπουράμενοι ψυχάς, κατὰ δέ σφι κελαινόν· —
296: οἱ δ' αὖτ' ἐς ταλάρους ἐφόρευν· παρὰ δέ σφισιν ὄρχος —
478: ὄμβρῳ χειμερίῳ πλήθων· τὼς γάρ μιν Ἀπόλλων —
unum in Op., 559: τῆμος τὤμισυ βουσίν, ἐπ' ἀνέρι δὲ πλέον εἴη —

De Sc. versibus animadvertendum est eos principali caesura uti semiseptenaria; quare prioribus duobus nihil damni infertur, quum caesura bucolica, praemissa semiseptenaria aucta interpunctione, iam obscurata sit. Quod ad tertium attinet, apparet eum etiam eam ob rem, quod in quarta sede utitur spondeo, melius evitare quam accipere caesuram post hunc pe-

dem[1]. Op. autem versus non abhorret ab obscuranda caesura bucolica post principalem caesuram eam, quae κατὰ τρίτον τροχαῖον dicitur.

Ex incisionibus trochaicis eam magnopere evitari constat, quae quartum trochaeum excipit. Videmus etiam rarius particulas nostras in eo loco poni quam in ceteris trochaeis; quin, μέν et γάρ eum locum prorsus aspernantur. Nihilominus viginti exempla particulae δέ in eo loco collocatae inveniuntur, qui numerus exspectatione maior est. Sed ex his viginti exemplis duodeviginti, excipiente enclitica (monosyllaba), caesuram quartam trochaicam prorsus tollunt, bucolicam integram restituunt: Th. 40, 412, 482, 567, 798, Sc. 85, 388, 439, Op. 23, 218, 396, 412, 419, 456, 482, 677, 697, 788; nisi statuimus quinque iis locis, qui diphthongum accipiunt (οἱ, τοι), caesuram bucolicam minui. Duo autem versus, qui hoc remedio non removent caesuram quartam trochaicam, scilicet in Op. nobis obvii sunt,

427: πόλλ' ἐπικαμπύλα κᾶλα· φέρειν δὲ γύην, ὅτ' ἂν εὕρῃς —
518: ἴς ἀνέμου Βορέω· τροχαλὸν δὲ γέροντα τίθησι.

Illius versus caesuram trochaicam quartam post δέ facile excusamus, quod est posita inter tertiam trochaicam et seminovenariam, interpunctionibus auctas, ut perquam infirma sit. Huic autem versui nescio an liceat aliquid excusationis praebere e firmissima caesura semiquinaria praemissa, interpunctione aucta. Quo enim vehementior est incisio antecedens, eo minus observatur sequens.

E caesuris, quae inter pedes exstant, longe rarissima est ea, quae tertium pedem excipit. Quam ob rem nusquam apud Hesiodum particulae μέν, δέ, γάρ in tertii pedis arsi spondaica ponuntur, septies autem in secunda eius pedis arsi dactylica; δέ sexies:

Th. 554: χώσατο δὲ φρένας, ἀμφὶ δέ μιν χόλος ἵκετο θυμόν —
Sc. 363: οὐταμένου σάκεος, τὸ δὲ τέτρατον ἤλασα μηρόν —
Op. 200: Αἰδὼς καὶ Νέμεσις· τὰ δὲ λείψεται ἄλγεα λυγρά —
596: τρὶς ὕδατος προχέειν, τὸ δὲ τέτρατον ἱέμεν οἴνου.
690: ἀλλὰ πλέω λείπειν, τὰ δὲ μείονα φορτίζεσθαι.
693: ἄξονα καυάξαις, τὰ δὲ φορτί' ἀμαυρωθείη.

γάρ semel, Op. 759: μηδ' ἐναποψύχειν· τὸ γὰρ οὔ τοι λώιόν ἐστιν.

[1] Quod in his Sc. versibus enclitica vox excipit thesin quintam, vix casu factum est, sed ne deinceps sequerentur plures caesurae masculae.

Apparet Th. versum incisionem post tertium pedem tollere, excipiente voce enclitica, et caesuras collocare post secundum pedem et quartam thesin, ut hic versus re vera eorum comprehendatur numero, qui tertii pedis caesuram omittunt. Ceteros autem omnes semiquinariam interpunctione augere observare licet. Quod minime casu factum est, sed scilicet caesura post tertium pedem, iuncta cum firmiore caesura praemissa (semiquinaria), minime observatur.

Praeter tertiam arsin spondaicam evitant hae particulae etiam quintam. Quarta autem praebet unum exemplum, Sc. 62:

νύσσοντες χηλῇσι, κόνις δέ σφ' ἀμφιδεδήει —

quo tamen in versu incisio est post sequentem encliticam, non post δέ.

Jam supra, pag. 16, annotavimus versum, qui γάρ in fine ponit, Th. 830.

Observandum est particulas has μέν, δέ, γάρ, sententiarum initiis adiungi solere; unde fit, ut et imprimis in prioribus versuum caesuris collocentur, quum sententiae saepissime a versibus incipiant, et, si in interiore versus parte aut posteriore ponuntur, non admodum firmam exhibeant post se incisionem, praemissa plerumque caesura, quae interpunctione augetur. Huius rei exempla iam vidimus. Ut illud probetur, afferre licet secundam thesin solam saepius accipere has particulas (nonagies sexies) quam ceteras theses omnes, quae sequuntur (quinquagies quinquies), quamquam neque tertia neque quarta incisionum numero longe ab illa distat (secunda: 1210, quarta: 1189, tertia: 1098); primi dactyli arsin priorem saepius quam eandem arsin tertii dactyli iis locum dare, quamquam in hac sede duplo saepius quam in illa invenitur incisio. Sed hae res optime elucent e tabellis nostris pagg. 15, 16, in comparationem vocatis quae inveniuntur pagg. 14, 15 [1].

Eodem modo, quo μέν, δέ, γάρ, semiencliticae videntur esse praepositiones, quae nomina sua excipiunt; quod emergit ex ea re, quod in iis locis poni solent, qui infirmiorem caesuram excipiunt, in firmiorem exeunt. Nam ratione habita praepositionum, quae bibreves sunt (quarum numerus etiam comprehendit ἕνεκ' Sc. 82), e viginti exemplis quae huc pertinent, undecim (Th. et Op. quaterna, Sc. tria praebet) in quarta arsi dactylica ponuntur, ut minuatur semiseptenaria, quae huic pedi minoris momenti est, ser-

[1] De his particulis agit Hoffmann, l. l. § 3, Eberhard, pag. 28 sqq.; quos conferre licet. Hoffmann etiam οὖν ad has voces addit: quae particula semel tantum exstat apud Hesiodum, Th. 853, in thesi secunda.

vetur bucolica, quae est quarti dactyli caesura principalis. Quinquies excipiunt primam caesuram trochaicam, exeunt in semiternariam (Th. quater, Sc. semel), Th. 23 excipit praepositio foedam illam κατὰ τέταρτον τροχαῖον, quae vocatur, caesuram:

ἄρνας ποιμαίνονθ' Ἑλικῶνος ὕπο ζαθέοιο.

Th. 726 excipit primam thesin. At bis excipiunt caesuram tertiam trochaicam,

Sc. 398: τῆμος δὴ κέγχροισι πέρι γλῶχες τελέθουσι —
Op. 152: καὶ τοὶ μὲν χείρεσσιν ὕπο σφετέρῃσι δαμέντες —

e quibus versibus ille videtur caesuram principalem ponere post quartam thesin, hic autem, ni fallor, post secundam.

Addendum est ὕπο postpositum sexies (Th. ter, Sc. ter), ἔπι semel (Sc.) elisione monosyllabum fieri, et iis locis primam caesuram trochaicam excipere.

Credo etiam incisionis vim frangi inter substantivum et sequentem conjunctionem comparat. ὥς,

Th. 91: ἐρχόμενον δ' ἀν' ἀγῶνα θεὸν ὥς ἱλάσκονται —
Sc. 60: τεύχεσι λαμπομένους σέλας ὥς πυρὸς αἰθομένοιο —

B) Ut semiencliticae hae voces incisionis vim minuere videntur, ita etiam iudico caesuram frangi post voces quasdam, quas semiprocliticas dico; quae sunt particula καί et praepositiones.

Particulam καί proclitica uti natura elucet e locis, quos occupat [1]. Dactylorum si primum rationem habemus, hanc particulam

	thesibus					arsibus prioribus					arsibus posterioribus				
in	I	II	III	IV	V	I	II	III	IV	V	I	II	III	IV	V
exhibet Th. (184)	24	13	—	1	3	2	1	24	5	4	3	8	88	—	8
„ Sc. (50)	4	7	1	1	1	4	1	7	1	1	2	—	13	—	7
„ Op. (104)	22	3	—	—	7	1	—	14	12	2	5	—	27	—	11
(338)	50	23	1	2	11	7	2	45	18	7	10	8	128	—	26

Spondeos autem si inspicimus, invenimus καί particulam exstare

[1] Hoffmann, l. l. § 6 omnium vocabulorum quodammodo προκλιτικώτατον esse καί dixit.

in	thesibus I	II	III	IV	V	arsibus I	II	III	IV	V
in Th. (67)	11	3	—	—	—	1	12	15	25	—
„ Sc. (28)	1	—	—	—	—	3	7	8	9	—
„ Op. (74)	8	3	—	1	—	2	16	15	29	—
(169)	20	6	—	1	—	6	35	38	63	—

Apparet καί particulam eos locos sibi eligere, qui excipiunt firmiorem, infirmiore autem caesura excipiuntur.

Tertius dactylus duas habet caesuras vere legitimas, semiquinariam et tertiam trochaicam; haec tamen illâ longe frequentior est. In utraque huius pedis arsi insidere potest καί; in priore enim positum efficit ut principalis caesura sit semiquinaria, tertia trochaica minus observetur; in posteriore autem, ut valeat tertiae trochaicae vis; quo in loco eam excipit infirmissima incisio, quae post tertium pedem fit. Quare etiam in hoc loco longe saepius quam in illo exstat. Quarti dactyli alteram arsin nusquam occupat, ne evadat ante eam quarta trochaica caesura, bucolica pariter minuatur. Quarti autem spondei arsin saepe tenet, quum is pes semiseptenariam frequentet, in firmam incisionem rarius exeat. Tertiam thesin prorsus fugit, si est hic pes spondeus; qui uti solet semiquinaria caesura; semel eam occupat, ubi est dactylus, Sc., 210, qui tertiam trochaicam servare conatur:

δελφῖνες τῇ καὶ τῇ ἐθύνεον ἰχθυάοντες —

quamquam videtur principalibus caesuris uti semiternaria et bucolica. Quarti dactyli thesin evitat, ne augeat caesuram mediam; e duobus exemplis, quae exstant, alterum praemittit dactylum, cuius trochaica caesura interpunctione augetur, Th. 552:

θνητοῖς ἀνθρώποισι, τὰ καὶ τελέεσθαι ἔμελλε.

alterum spondeum, qui semiquinaria utitur, Sc. 43:

νούσου ὕπ' ἀργαλέης ἢ καὶ κρατεροῦ ὑπὸ δεσμοῦ —

Sed nescio an utrumque particulae καί praemittat vocem, cui insit proclitica quaedam vis, ut iam per se minus observetur caesura media. Quarti spondei thesin semel occupat, Op. 425:

εἰ δέ κεν ὀκταπόδην, ἀπὸ καὶ σφῦράν κε τάμοιο.

Quo in versu firmissima caesura semiquinaria, interpunctione aucta, minuit caesuram post tertium dactylum.

Ex his satis apparet καί particulam proclitica natura uti.

Praepositiones etiam dixi proclitica esse natura. Sed hoc nomine rationem non habeo eorum locorum, qui aliam vocem inter praepositionem et nomen interserunt, neque qui tmesi eam a verbo seiungunt; quibus locis nescio an minus alii voci serviat; neque qui elisione summovent praepositionis finalem vocalem, ubi vel elisio haud dubie minuit intercisionis vim. Ut autem ostendam praepositiones nominibus suis tam arte coniungi, ut incisio non admodum observetur, satis erit, opinor, exponere, quas versus sedes occupent praepositiones bibreves.

Possunt enim aut efficere dactylorum pedum arses aut ita poni, ut a dactylorum pedum arsi altera incipiant, in thesi sequenti finem ponant. Arsibus quibusvis insidere possunt; quod hae tabellae planum faciunt:

	I ars. dact.				II ars. dact.				III ars. dact.				IV ars. dact.				V ars. dact.			
Exstant in	Th.	Sc.	Op.	S:a	Th.	Sc.	Op.	S:a	Th.	Sc.	Op.	S:a	Th.	Sc.	Op.	S:a	Th.	Sc.	Op.	S:a
praepos. bibreves		1	7	8	11	5	7	23	2		10	12	12	2	17	31	24	10	17	51

Vidimus supra, pag. 14, quartum dactylum ceteris longe saepius in diaeresin exire, neque multum abesse quin duplo saepius quam quintus excipiatur incisione. Quod nihilo minus bibreves praepositiones cum nomine suo coniunctae frequentiores nobis obviae sunt in quinta quam in quarta arsi, haud dubie ostendit poetas operam dedisse, ne obscuraretur caesura bucolica. Quod eo magis planum fit, si consideramus quartam arsin plus triplo saepius bibreves voces accipere quam quintam [1].

---

[1] Ut haec illustrentur, licet ex iis, quae, longo spatio intermisso, sequentur, afferre voces bibreves occupare arsin dactylicam

	I		II		III		IV		V		omnes
in Th.	53	15,0	45	12,7	31	8,8	172	48,7	52	14,7	353
„ Sc.	15	7,4	36	17,8	39	19,4	85	42,1	27	13,4	202
„ Op.	47	13,9	34	10,1	60	17,8	150	44,4	47	13,9	338
	115	12,9	115	12,9	130	14,5	407	45,6	126	14,1	893

Ex his, quae sequuntur, tabellis emergit, quas sedes iambicas sibi eligant hae praepositiones.

	I sed. iamb.				II sed. iamb.				III sed. iamb.				IV sed. iamb.				V sed. iamb.			
	Th.	Sc.	Op.	omn.	Th.	Sc.	Op.	omn.	Th.	Sc.	Op.	omn.	Th.	Sc.	Op.	omn.	Th.	Sc.	Op.	omn.
Exstant in	7	13	6	26	—	—	—	—	34	15	21	70	—	—	—	—	—	—	—	—

Apparet has praepositiones prorsus respuere secundam sedem iambicam, ne quid detrimenti capiat tertii pedis caesura mascula. In quintam thesin non exeunt, ne excipiant quartum trochaeum, qui est evitandus; neque latet, cur in sexta thesi finem non ponant. At secundi et quarti pedum caesuras masculas obscurare licet; quare etiam in eas omnes exeunt praepositiones natura bibreves, in iambicis sedibus positae. Et longe quidem saepius in quartam quam in secundam, quum optime excipiant frequentissimam tertii pedis caesuram trochaicam.

C) Tum etiam incisiones infirmari puto elisione vocalis et correptione diphthongi aut vocalis longae. Quod hic argumentis probare non possum, verum autem esse inde apparere mihi videtur, quod omnino, quo maiore vi utuntur incisiones, eo magis ab elisione et correptione abhorrent. De elisionis quidem vi minuendae incisionis non est dubium. Quod ad correptionem attinet, dubium movere potest id, quod bucolica caesura, quae inter firmissimas est, permulta corripiendi exempla accipit. Sed et de elisione et de correptione postmodum uberius agendum erit. Unde spero fore ut eluceat me non iniuria statuere incisionis vim iis frangi.

His breviter de causis, quae ad caesurarum vim frangendam valent, expositis, nequaquam omnem, quae huc pertinet, dicendi materiam consumpsi. Multa restant; quae tamen eius generis mihi esse videntur, ut magis ad commentationem, quae in caesura una versatur, quam quae certi cuiusdam poetae rem metricam tractandam sibi proposuit, pertineant. Quarum rerum quasdam quasi obiter suis locis attingam, aliae prorsus omittendae sunt. Ad singulas incisiones tractandas festino.

Primus pes dactylo utitur in carminibus Hesiodeis millies quadringenties tricies (Th. 610, Sc. 312, Op. 508). Incisionem accipit post thesin trecenties vicies quater (Th. 133, Sc. 71, Op. 120), post trochaeum quingenties septuagies bis (Th. 227, Sc. 136, Op. 209), in fine sexcenties de-

cies bis (Th. 267, Sc. 119, Op. 226). Quod inter se valde differunt frequentia hae incisiones, maius etiam discrimen intercedet, seiunctis omnibus versibus, qui hac illave causa incisionis vim frangunt.

Ex incidendi exemplis, quae post thesin nobis in primo dactylo occurrunt, seiungenda sunt ducenta undetriginta (Th. 94, Sc. 49, Op. 86), quae aut semiencliticis semiprocliticisque, aut quod in elisione correptioneve posita sunt, minus valent. Plus igitur duae partes harum incisionum minuuntur (70,7); restant nonaginta quinque, quarum firmitati nullam vim inferunt causae, quas attuli (Th. 39, Sc. 22, Op. 34), i. e. decimus fere quintus quisque dactylus non minutam praebet incisionem (6,6: Th. 6,4, Sc. 7,1, Op. 6,7), quum, additis, qui infirmata incisione utuntur, non multum absit quin quartus quisque dactylus hoc loco incisionem adhibeat (22,7: Th. 21,8, Sc. 22,8, Op. 23,6).

Pro incisionum numero rarius quam quae post thesin inveniuntur, vim suam frangunt eae, quae primum trochaeum excipiunt. Duabus enim partibus incisionum ibi obscuratis, hoc loco ne dimidia quidem pars infirmatur (41,3: Th. 48,0, Sc. 44,2, Op. 31,1.): infirmatae enim incisionis exempla praebet hic locus ducenta triginta sex (Th. 109, Sc. 61, Op. 66). Restat igitur e quingentis septuaginta duobus exemplis incisio trochaica non minuta in trecentis triginta sex (Th. 118, Sc. 75, Op. 143). Unde apparet quadruplo fere frequentiorem esse caesuram trochaicam primi dactyli quam eam, quae thesin excipit. Hanc enim praebente quinto decimo fere quoque versu, illam omnino exhibet quartus fere quisque (23,6: Th. 19,3, Sc. 24,0, Op. 28,1).

Diaeresis, quae est in fine primi dactyli, ut pro exemplorum numero rarius quam huius pedis caesura mascula, ita paulo saepius quam incisio trochaica imminuitur. Hac enim quadragena singula centenis minuta exhibente, illa eius generis exempla exhibet quadragena quina fere (278 = 45,4: Th. 121 = 45,3; Sc. 55 = 46,2; Op. 102 = 45,1). Inde factum est ut aeque fere saepe nobis obviae sint hae incisiones vim suam servantes: trochaicam invenimus trecenties tricies, dactylica exstat trecenties tricies quater (Th. 146 = 23,9; Sc. 64 = 20,5; Op. 124 = 24,4). Quare inter masculam huius pedis incisionem et dactylicam eadem fere ratio intercedit, quam nuper vidimus esse inter masculam et trochaicam;

sed ita tamen, ut Th. imprimis faveat dactylicae, Sc. et Op. trochaicam magis frequentent.

Secundam sedem ceteris minus tenaciorem esse dactyli vidimus supra pag. 6. Dactylum servat millies trecenties quadragies quinquies (Th. 612, Sc. 301, Op. 432). Ex incidendi generibus longe frequentissimum est id, quod thesin excipit; quod alterni fere huius sedis dactyli exhibent: Th. in 297 dactylis, Sc. in 154, Op. in 200 = 651. Sed ex his incisionibus in Th. 71 = 23,9, in Sc. 36 = 23,4, in Op. 58 = 29,0 vim suam variis causis infirmant. Unde sequitur ut e dactylis hanc sedem tenentibus in Th. mascula caesura utantur 226 = 36,9, in Sc. 118 = 39,2, in Op. 142 = 32,9 [1].

Incisio post secundum trochaeum longe rarior est; ut frequentia superat eam, quae quartum trochaeum excipit, ita ceteris trochaicis rarior est. Exstat enim ducenties octogies semel. E centenis huius sedis dactylis viceni singuli fere incisionem hanc admittunt (in Th. 127 = 20,9, in Sc. 55 = 18,3, in Op. 99 = 22,9). Sed ex iis septuaginta, i. e. quartus quisque dactylus incisus, hac illave causa incisionem frangunt (Th. 33 = 26,0, Sc. 13 = 23,6, Op. 24 = 24,2). Accedunt tres versus, qui incisionis vim tollunt, praemissa semiternaria non imminuta: Th. 134, 531, 666 [2]. Tum restant ducenta octo huius incisionis exempla, qui ita distribuuntur in carmina, ut Th. accipiat nonaginta unum, Sc. quadraginta duo, Op. septuaginta quinque; ex huius sedis dactylis igitur quini deni in Th. (14,9,), quaterni deni in Sc. (14,0), septeni deni in Op. (17,4.) e centenis trochaica caesura distinentur.

Rarior etiam est diaeresis post secundum dactylum; quae nobis occurrit in Th. octogies sexies, in Sc. quadragies sexies, in Op. undesexagies (= 191). Sed ut ceteris huius pedis incisionibus rarius nobis obvia est, ita pro exemplorum numero saepius obscuratur. Non enim multum abest, quin tertia quaeque diaeresis imminuatur; quod fit in Th. duodetricies, in

[1] Si in comparationem vocamus ea, quae de primi dactyli incisionibus supra annotavimus, apparet earum non esse, quae tam firma videatur esse quam semiternaria secundi dactyli.

[2] Jam per se obscurata est secunda trochaica caesura in his versibus, quum in ea positus sit articulus τό: τὸ πάρος 394, τὸ πάροιθε(ν) 531, 666.

Scilicet longe saepius praemittitur incisio post thesin ei, quae trochaeum excipit: in Th. tricies semel, in Sc. quater, in Op. duodetricies, omnibus exemplis collectis. Sed ubique, exceptis tribus e Th. allatis versibus, aut alterutra aut ambae obscuratae sunt.

Sc. decies ter, in Op. duodevicies (= 59). Servant igitur vim suam 132 incisionis exempla, i. e. decimus fere quisque dactylus in secunda sede positus in diaeresin exit (in Th. 58 = 9,5, in Sc. 33 = 11,0, in Op. 41 = 9,5).

Jam de tertii dactyli incisionibus agendum erit; qui unam praebet, quae omnium maxime frequentatur, quae κατὰ τρίτον τροχαῖον vocatur.

Tertiam sedem vidimus pag. 6 spondeorum raritate quintae soli cedere. Th. dactylum retinet in 880 vv., Sc. in 390, Op. in 646. Ex his dactylis longe plures post trochaeum inciduntur. E Th. annotavi 679 eius incisionis exempla = 77,2, e Sc. 262 = 67,2, ex Op. 414 = 64,1. Cuius incisionis firmitatem approbat ea quoque res, quod raro eam infirmant causae, quarum mentio iam saepe facta est. In Th. e duodenis singula fere exempla obscurata sunt: 56 = 8,2, in Sc. e denis: 25 = 9,5, in Op. ex octonis: 53 = 12,8. Quae incisiones si seiungimus, Th. exhibet e centenis tertii pedis dactylis septuagenos singulos caesura non obscurata instructos (70,8), Sc. sexagenos singulos (60,8), Op. quinquagenos senos (55,9).

Neque raro nobis occurrit tertii dactyli caesura mascula, quamquam longe minus frequentatur quam trochaica. Th. eam exhibet in 259 vv. = 29,4, Sc. in 157 = 40,3, Op. in 293 = 45,4. Hanc tamen incisionem minore vi uti quam tertiam trochaicam vel inde elucet, quod pro exemplorum numero longe saepius deminutionem patitur. Non multum abest, quin e quinis exemplis singula obscurentur: e Th. annotata habeo 55 = 21,2, e Sc. 27 = 17,2, ex Op. 54 = 18,4. Deminutis his incisionibus seiunctis, e tertii pedis dactylis nobis obvii sunt in Th. 204 semiquinaria instructi = 23,2, in Sc. 130 = 33,3, in Op. 240 = 37,2 [1].

Nos iure supra, pag. 22, statuisse incisionem non modo excipientibus semiencliticis praemissisque semiprocliticis, sed etiam si in elisione aut correptione ponatur, obscurari optime ex hac sede elucet. Rarius enim quam pro numero versuum, qui alterutra tantum harum tertii dactyli incisionum praediti sunt, — nisi ratio me fallit, fere mille septingenti —, aut in elisione aut in correptione eam collocant. Cuiusmodi versus sunt in Th.

[1] Hic pes optime illustrat id, quod passim indicavimus, et frequentissimas caesuras easdem esse firmissimas et, quo firmiores sunt, eo rarius imminui. Th., quae ceteris carminibus magis frequentat eam, quae κατὰ τρίτον τροχαῖον vocatur, eam rarius infirmat, semiquinariam autem, qua rarius utitur quam Sc. aut Op., saepius obscuratam praebet.

115, 170, 252, 356, 472, 620, 963, Sc. 108, 456, Op. 95, 581, 650, 777, qui in tertia trochaica, semiquinaria non praemissa, elisionem adhibent [1], Th. 23, 127, 134, 141, 224, 259, 307, 322, 340, 341, 374, 680, 835, 869, Sc. 192, 218, 266, 309, 326, 345, 347, 445, 450, 477, 479, Op. 24, 29, 117, 155, 189, 193, 268, 280, 313, 456, 458, 467, 616, 625, qui in semiquinaria, trochaica non sequente, elisionem patiuntur [2]. Octo versus inveniuntur, qui utramque caesuram infirmant; quorum Th. 689, 1000 in utraque vocalem finalem elisione summovent, Th. 787, 911, Op. 300, 324, 326 in tertia trochaica elisionem ponunt, semiquinariam semienclitica exceptam exhibent, Sc. 210 procliticam καί in semiquinaria ponit, diphthongum ῃ in tertia trochaica corripit. E versibus, qui, semiquinaria non praemissa, in tertia trochaica corripiunt, Th. 420, 471, 830, 898, Sc. 24, 336, Op. 10, 250, 297, 365, 632, 749, 802, 823, interpunctione caesurae vim, elisione deminutam, restituunt, Th. 97, 479, 586, 610, 797, Sc. 110, 357, Op. 106, 713, 738, incisionem antecedentem interpunctione augent, Sc, 310, Op. 600, bucolicam. At Th. 114, 781, 783, 866, 872, 873, Sc.

---

[1] Ex his versibus Th. 115, 170, 252, 472, 620, Op. 95, 581, interpunctione augeat aliquam e caesuris tertio pedi praemissis, imprimis semiternariam, quare vel per se obscurata est tertia trochaica. Sc. 108 principali caesura utitur bucolica:

ἀλλ' ἄγε δύσεο τεύχε' ἀρήια, ὄφρα τάχιστα —

Th. 356 nihil est nisi enumeratio nominum:

Περσηίς τ' Ἰάνειρά τ' Ἀκάστη τε Ξάνθη τε —

Caesura κατὰ τρίτον τροχαῖον haud dubie est principalis Th. 963:

Ὑμεῖς μὲν νῦν χαίρετ' Ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες —

et Sc. 456: ἔγχεος ὁρμὴν ἔτραπ' ὀρεξαμένη ἀπὸ δίφρου.

Op. 650 minus ostendit, quae incisio ceteras vincat.

οὐ γάρ πώ ποτε νηί γ' ἐπέπλων εὐρέα πόντον —

[2] Interpunctio, in elisione posita, eius vim tollere videtur Th. 127, 835, Sc. 218, 309, 479, Op. 24, 268, 456; caesura principalis, interpunctione aucta, est in antecedente versus parte, imprimis in semiternaria, Th. 224, 680, Sc. 192, 266, 450, Op. 117, 155, 189, 193, 280, 313, 616, 625, semel in semiseptenaria, Op. 467; Th. 322 interpungit et in semiseptenaria et in incisione, quae excipit secundum pedem; huc fortasse non pertinent Sc. 326 et 445, quia accipiunt digamma restitutum:

καί σφεας θαρσύνουσα ϝέπεα πτερόεντα προσηύδα·
δεινὰ δ' ὑπόδρα ἰδοῦσα ϝέπεα πτερόεντα προσηύδα·

Ex iis, quae restant, Th. 134, 340, 341 excusari mihi videntur e nominibus, quae continent, Th. 141, 259, 307, Sc. 477, semiseptenaria, Th. 869 bucolica, ni fallor, utuntur caesura principali. Th. 23, 374, Sc. 345, 347, Op. 29, 458 excusandi rationem non praebent.

16, 264, Op. 265, 359, 459, 601, 827, tali ratione correptioni non refragantur. Cetera elisionis et correptionis exempla, in tertio dactylo posita, adiungi solent incisioni eandem sedem occupanti neque deminutae.

Addere licet quinque versus utramque incisionem exhibentes neutram secundum rationes supra expositas deminuere. Sed si eos inspicimus, apparet eos aut vocem, cui insit enclitica quaedam natura, in priore arsi ponere, ut servetur caesura trochaica: Th. 71, Sc. 59; aut vocem procliticae naturae participem eo loco collocare, ut semiquinaria salva sit: Th. 334, 455, Op. 804 [1].

Docent rerum metricarum scriptores caesuram trochaicam tertii dactyli magis magisque invaluisse, ut posteriore aetate sola fere usurparetur, unde magnum oreretur similitudinis fastidium. Ne quis, his verbis adductus, sibi persuadeat magis etiam ab antiquorum poetarum usu abhorrere Nonnum eosque, qui eum sequuntur, quam re vera ab eo distant, afferendum esse duco me apud Nonnum, cuius carminis scilicet minimam partem cognovi, e centenis tertiae sedis dactylis omnino invenissse octogenos trochaica, vicenos semiquinaria caesura instructos esse, quum Th., seductis, qui trochaicam deminuunt, septuagenos singulos ea praeditos exhibeat. Sed quod magis etiam quam pro hoc discrimine Nonnus videtur similitudinis fastidio fatigare, pendet tum ex ea re, quod longe maiore cura quam Hesiodus tertiae sedis spondeum fugit, tum quod omnino neque admittit dactylos in hac sede caesura carentes neque trochaicam deminuit. Quod autem similitudine molestae non sunt apud Hesiodum trochaicae tertii dactyli caesurae, petendum est ex ea re, quod interseruntur versus spondeum in hac sede collocantes; quamquam longi versuum ordines, caesurarum varietate carentes, passim inveniuntur; quorum imprimis est annotandus is, quem praebent Th. 209—222, qui versus omnes post tertium trochaeum inciduntur; Th. 635—674, qui praeter tres insertos versus omnes trochaica incisione praediti sunt. Nonnus in initio

---

[1] Versus sunt hi: Th. 71: νισσομένων πατέρα ὅν· ὁ δ' οὐρανῷ ἐμβασιλεύει —
334: γείνατο δεινὸν ὄφιν, ὃς ἐρεμνῆς κεύθεσι γαίης —
455: ἴφθιμόν τ' Ἀΐδην, ὃς ὑπὸ χθονὶ δώματα ναίει —
Sc. 59: αὐτὸν καὶ πατέρα ὅν, Ἄρην, ἄατον πολέμοιο —
Op. 804: Ὅρκον γεινόμενον, τὸν Ἔρις τέκε πῆμ' ἐπιόρκοις.

primi carminis, vv. 24—48, viginti quinque deinceps secutos versus tertia trochaica caesura instruit.

Quintus quisque fere dactylus tertiam sedem occupans in diaeresin exit; cuius diaeresis exempla Th. exhibet 156 = e centenis dactylis 17,7, Sc. 77 = 19,2, Op. 123 = 19,0. Sed longe plurimi versus hanc diaeresin una alterave causa infirmant. Qui eam non infirmatam exhibere videntur, omnes ei praemittunt aliam eiusdem pedis caesuram, ubique, si unum locum excipimus, integram, quin, saepe interpunctionis augmento usam. Semiquinaria longe saepius praemittitur illa quidem: in Th. decies ter, in Sc. decies sexies, in Op. tricies ter [1]. Quinquies tantum praemissa est tertia trochaica caesura, interpunctione ubique accedente, excipiente voce, cui procliticam quandam naturam inesse credo (ὅς, τόν, τά, τό): Th. 552, 1001, Op. 293, 295, 314.

Scilicet firma caesura in eadem sede praemissa, minus observatur caesura media neque quidquam versui nocet. Accedit, quod saepe in his versibus quum aliae caesurae tum bucolica interpungendi augmentum sibi asciscunt, unde fit ut pro sua parte mediae vim frangant. Quod semiquinaria, quam trochaica multo rariorem esse vidimus, his in versibus eam frequentia vincit, magna ex parte pendet haud dubie ex ea re, quod diaeresis magis valet ad vim inferendam propiori quam remotiori incisioni; unde sequitur ut facilius deminuat caesura media trochaicam quam semiquinariam.

Versus, quem supra excepimus, est Th. 647, qui περί praepositionem, nomen excipientem, in tertii dactyli arsi collocat:

νίκης καὶ κράτεος πέρι μαρνάμεθ' ἤματα πάντα —

Altera caesura media tam firma non apud Hesiodum excipit tertium dactylum [2].

E quarti dactyli incisionibus maxime frequentatur ea, quae in fine est; quae suo nomine bucolica vocatur. E septingentis quinquaginta quarti

[1] Ex his versibus sex incisionem deminutam in trochaeo positam exhibent: Sc. 363, Op. 200, 596, 690, 693, 759, quos descriptos invenias pag. 17.

[2] Caesurae mediae firmitate proxime ad hunc versum accedere videntur

Th. 326: ἡ δ' ἄρα Φῖκ' ὀλοὴν τέκε Καδμείοισιν ὄλεθρον —

et 375: Κρίῳ δ' Εὐρυβίη τέκεν ἐν φιλότητι μιγεῖσα —

in quibus nescio an intermissiuncula quaedam observetur port τέκε(ν).

pedis dactylis, quos Th. exhibet, 500 bucolica caesura instructi sunt = 66,7, e trecentis quadraginta quattuor, qui in Sc. exstant, 220 = 64,0, e quingentis octoginta sex, quos Op. praebent, 405 = 69,1. Bucolica igitur pro dactylorum numero non multo minus frequentatur in carminibus Hesiodeis quam tertia trochaica, quin, Op. eam saepius exhibent; vide supra pag. 25. Sed duplo fere saepius infirmari videtur. E Th. annotavi 118 exempla = 23,6, e Sc. 40 = 18,2, ex. Op. 88 = 21,7. Quae exempla si removemus, restant bucolica praediti in Th. 383 = 51,1 e centenis huius sedis dactylis, in Sc. 180 = 52,3, in Op. 317 = 54,1. Sed supra pag. 22 indicavi de correptionis vi frangendi caesuram bucolicam dubium inde moveri, quod tot correptionis exempla acciperet firmissima diaeresis haec. Cuiusmodi exempla Th. exhibet 97, Sc. 24, Op. 55. Observare licet vocum corripientium longe maximam partem necessitate, ut in versus cadant, corripere. Sed de hac re uberius infra.

Semiseptenariam exhibent e quarti pedis dactylis in Th. 333 = 44,4, in Sc. 159 = 46, 2, in Op. 302 = 51,5. Deminutionem passos esse annotavi in Th. 64 = 19,2, in Sc. 32 = 20,1, in Op. 53 = 17,5. Quibus seductis, Th. exhibet semiseptenaria instructos 269 dactylos = 35,9, Sc. 127 = 36,9, Op. 249 = 42,5. Ut vidimus bucolicam, quam imprimis frequentat quartus dactylus, pro exemplorum ratione paulo rariorem esse quam caesuram trochaicam tertii dactyli, ita invenimus semiseptenariam magis frequentari quam semiquinariam.

Semiseptenariam minoris quam bucolicam momenti esse versus elegantiae vel inde elucet, quod plus dimidia pars eius exemplorum coniunguntur cum bucolica: in Th. 184 = 55,3, in Sc. 82 = 51,6, in Op. 162 = 53,6 [1]. In quarto igitur dactylo, omnium exemplorum ratione subducta, Th. trecenties decies sexies, Sc. centies tricies octies, Op. ducenties quadragies ter sola bucolica utuntur, semiseptenaria autem sola adhibetur in Th. centies undequinquagies, in Sc. septuagies sexies, in Op. centies quadragies.

[1] Si seiungimus incisiones deminutas ab iis, quae vim servant, invenimus — id, quod exspectare licet — illas saepius quam has cum bucolica iungi. E centenis semiseptenariis integris Th. cum bucolica iungit 55,0, Sc. 49,6, Op. 48,2, e totidem deminutionem passis, bucolica accedente, Th. exhibet 56,3, Sc. 59,4, Op. 79,2. Op., quae firmiorem quam Th. aut Sc. exhibent semiseptenariam, imprimis student ut ei deminutae subiciatur altera quarti dactyli incisio.

Tredecim versus annotavi, qui utramque caesuram deminuere videntur (in Th. 4, Sc. 2, Op. 7).

Post quartum trochaeum exstant apud Hesiodum quinquaginta novem incisiones. Undetricesimus igitur fere quisque dactylus huius pedis incisionem trochaicam exhibet. Op. hac quoque in re ceteris carminibus deterius se habent; vicesimum enim quemque fere versum hac incisione instruunt (29 e 586). Th. eam maxime evitat, quadragesimo secundo fere cuique versui eam tribuens (18 e 750). Sc. medium tenet; in quo undetricesimus quisque versus ea incisione utitur (12 e 344). Sed ex his versibus longe plurimi incisionis vim aut tollunt aut minuunt. Excipit enim eam vox semienclitica vicies (Th. novies, Sc. septies, Op. quater). Antecedit caesura semiseptenaria tricies bis, quae, uno loco fortasse excepto, nusquam minuitur, dico Th. 187, qui versus utramque in elisione ponit

Νύμφα θ', ἃς Μελίας καλέουσ' ἐπ' ἀπείρονα γαῖαν·

qua caesura praemissa, minus observatur trochaica sequens. At quinquies augetur semiseptenaria interpunctione: Th. 101, Sc. 79, Op. 139, 257, 467. Accedit, quod ex his triginta duobus versibus viginti tres in hac incisione diphthongum corripiunt, (in Th. 6, in Sc. 2, in Op. 15); quorum decem et octo corripiunt semiprocliticam καί. Quinquies exstat in elisione, et ter quidem elisione summovetur vocalis finalis praepositionis semiprocliticae: Th. 187, Op. 160, 487, semel μέγα vocalem amittit, Sc. 51, semel ὅτε, Op. 467. Accedunt quattuor versus, qui sola praemissa semiseptenaria eripiunt quartae trochaicae caesurae omnem vim nocendi versui,

Th. 742: ἀλλά κεν ἔνθα καὶ ἔνθα φέροι πρὸ θύελλα θυέλλῃ —
Op. 193: οὐκ ἔσται· βλάψει δ' ὁ κακὸς τὸν ἀρείονα φῶτα —
280: γίγνεται. εἰ γάρ τίς κ' ἐθέλῃ τὰ δίκαι' ἀγορεῦσαι —
394: ὥρι' ἀέξηται, μή πως τὰ μέταζε χατίζων —

Eo minus observatur horum versuum incisio post quartum trochaeum, quod Th. versus caesura principali utitur haud dubie semiseptenaria, quae firmior videtur esse quam tertia trochaica hoc in versu, in Op. autem versibus omnibus quartus trochaeus exit in articulum, quem vocamus; quem procliticae naturae participem esse ratio suadet.

Ostendimus igitur e quinquaginta novem, quae exstant apud Hesiodum, incisionibus post quartum trochaeum quinquaginta duas nihil offensionis praebere. Restant septem, quae excusatione egent,

Th. 319: ἡ δὲ Χίμαιραν ἔτικτε πνέουσαν ἀμαιμάκετον πῦρ —
Sc. 222: χαλκέου ἐκ τελαμῶνος· ὁ δ' ὥστε νόημ' ἐποτᾶτο·

373: τῶν δ' ὕπο σευομένων καναχίζε πόσ' εὐρεῖα χθὼν —
Op. 427: πόλλ' ἐπικαμπύλα κᾶλα· φέρειν δὲ γύην, ὅτ' ἂν εὕρῃς —
518: ἴς ἀνέμου Βορέω· τροχαλὸν δὲ γέροντα τίθησι.
693: ἄξονα καυάξαις, τὰ δὲ φορτί' ἀμαυρωθείη.
751: παῖδα δυωδεκαταῖον, ὅτ' ἀνέρ' ἀνήνορα ποιεῖ —

Op. versibus 427, 518 iam supra, pag. 17, excusationem parare conati sumus. Nescio an eodem modo liceat excusationis aliquid praebere Op. versibus 693, 751; in quibus etiam elisio incisionis vim aliquantum minuere possit [1]. Sc. 222 ad tertiam trochaicam caesuram firma interpunctione auctam accedit, quod minima debet esse vocis intermissio inter ὥστε et νόημ' [2]. At non invenio, quo minuant Th. 319 et Sc. 373 incisiones suas. Ille versus pessimus est, in quo deinceps sequuntur quattuor trochaicae caesurae, nulla intercedente mascula [3]. Sc. versus ad varias emendationes allexit viros doctos; quas in Rzachii appar. critico annotatas habes; quarum tamen nulla prae ceteris se veram esse ostendit. Melius fortasse agunt, qui, ut Paley, G.-Fl. [4], versum spurium censent [5].

Quintam sedem omnium tenacissimam esse dactyli vidimus supra pag. 6. Th. in ea exhibet 958 dactylos, Sc. 440, Op. 780. Ex incisionibus imprimis frequentat trochaicam, quae, si exemplorum copiae rationem habemus, tertia trochaica et bucolica solis rarior obvia est [6]. Exstat enim

---

[1] Op. 693 fortasse legendum est φορτία μαυρωθείη, quod exhibet cod. O. Idem suasit Nauck propter caesuram evitandam. Vide Rzachii annot. crit. μαυρόω nobis occurrit Op. 325, ἀμαυρόω altero loco non exstat apud Hesiodum. ἀμαυρός invenitur Op. 284. Op. 751 non admittit correctionem, ostendit autem, quae ad vitia stupida Homeri imitatio ducat. Homerus enim vocabulum, quod est ἀνήνωρ, bis adhibet,

Od. X, 301: μή σ' ἀπογυμνωθέντα κακὸν καὶ ἀνήνορα θήῃ·

qui versus totus fere recurrit v. 341; quos locos apparet versum Hesiodeum, sive verus est sive spurius, imitari. Sed quod licet versibus Homericis, quorum quartus trochaeus exit in καί semiprocliticam, idem non licet versui Hesiodeo, qui hanc caesuram neglegit.

[2] Hermann, teste Rzachio, hoc modo emendavit: ὁ δ' ἔπτατο ὥστε νόημα (ἐπτάτο cod. Viteb.).

[3] Alterum, quod singulare est, praebet versus, quod corripit ante coniunctas consonas πν.

[4] Paley: *The epics of Hesiod. London 1861.* Goettlingius: *Hesiodi carmina. Editio tertia, quam curavit Flach. Lipsiae. MDCCCLXXVIII.*

[5] De quarta caesura trochaica apud Homerum vide Hoffmannum, I, § 25. Agunt de eadem R.-W, III, pag. 15, Monro, *Homeric Grammar, Oxford, 1882*, pag. 271. De eadem caesura in hymnis nobis obvia vide Eberhardium, pag. 23.

[6] Si pro dactylorum numero, quos singuli pedes exhibent, incisiones in versus distribui-

in Th. trecenties octogies septies, in Sc. ducenties, in Op. trecenties sexagies semel. Neque admodum frequenter deminutionem patitur; cuius generis septimam fere quamque incisionem exhibent carmina consentientia: Th. 59 = 15,3, Sc. 27 = 13,5, Op. 55 = 15,2. Unde emergit trochaicam non minutam exstare in Th. trecenties duodetricies, i. e. in 34,2 dactylis e centenis, in Sc. centies septuagies ter = 39,3, in Op. trecenties sexies = 39,2.

Ex huius dactyli incisionibus ad trochaicam frequentia proxime accedit ea, quae in fine est, eo tamen intervallo, ut trochaica dactylicam tertia fere parte exemplorum superet. Hanc enim exhibet Th. in 240 vv., Sc. in 131, Op. in 273. Maius etiam fit intervallum, seductis dactylis, qui diaeresin infirmare videntur. Quamquam enim trochaica caesura frequentia, ut videmus, longe superat dactylicam, haec vix pauciora quam illa exhibet deminutae incisionis exempla; Th. enim eiusmodi exempla exhibet 52, vel e centenis incisionibus 21,7, Sc. 31 = 23,7, Op. 52 = 19,0. Unde fit ut Th. e quintae sedis dactylis incisione dactylica instruat 188 = 19,6, Sc. 100 = 22,7, Op. 221 = 28,3 [1].

Incisio mascula quinti dactyli dimidio pauciora exempla praebet quam trochaica: Th. 199, Sc. 108, Op. 160. Sed vix rariora sunt exempla deminutionem passa, trium carminum simul ratione habita [2]. Eius enim generis exempla Th. praebet 39 = 19,6 e centenis, Sc. 28 = 25,9, Op. 66 = 41,3. Quare plus dimidio pauciores sunt quintae sedis dactyli seminovenaria integra instructi quam qui trochaica utuntur. Illius enim generis exhibet Th. 160 = 16,7, Sc. 80 = 18,2, Op. 94 = 12,1.

Jam ad spondeorum incisiones tractandas aggredimur.

---

mus, paulo saepius nobis occurrit semiseptenaria quam quinta trochaica: illam enim e centenis dactylis exhibent 47,5, hanc autem 43,5.

[1] Trochaicam caesuram firmiorem esse quam dactylicam vel inde elucet, quod e locis, qui utramque exhibent, plures dactylicam quam trochaicam deminuunt. Omissis enim quattuor dactylis, qui utrique vim inferunt: Sc. 377, Op. 215, 709, 726, trochaicam deminuunt ex his locis 27 (in Th. 9, Sc. 6, Op. 12), dactylicam autem 38 (in Th. 11, Sc. 10, Op. 17). Nullus dactylus utramque integram exhibet.

[2] Quum quinti dactyli trochaica caesura integras exhibeat 807 incisiones, deminutas 141, dactylica integras 509, deminutas 135, in seminovenaria exstant integrae 334, deminutae 133.

Prima sedes in Th. utitur 412 spondeis, in Sc. 168, in Op. 320. Longe saepius inciditur post arsin quam post thesin. Spondeorum enim primae sedis quinta fere pars mascula incisione utuntur, dimidia autem spondaica. Illam exhibent in Th. 71 spondei = 17,2, in Sc. 43 = 25,6, in Op. 63 = 19,7, hanc vero in Th. 201 = 48,8, in Sc. 100 = 59,5, in Op. 171 = 53,4. Quam minimam esse primae masculae caesurae vim vel inde emergit, quod plus duae partes incisionum deminutionem patiuntur: in Th. 50 = 70,4, in Sc. 26 = 60,5, in Op. 49 = 77,8 [1]; ut omittam paucas, quae restant (in Th. 21, Sc. 17, Op. 14 [2]), plerumque esse admodum infirmas, quum in prima sede maxime exhibeant pronomina relativa aliasque voces, quibus iure procliticam quandam naturam inesse suspicamur [3]. Neque multo rarius infirmatur prima spondaica diaeresis; fit enim in Th. centies quindecies, = 57,2, in Sc. quadragies ter = 43,0, in Op. nonagies quater = 55,0. Integram igitur hanc diaeresin in Th. exhibet quintus fere quisque spondeus, 86 = 20,9, in Sc. tertius quisque, 57 = 33,9, in Op. quartus fere quisque, 77 = 24,1 [4].

Secundus pes spondeus, quem exhibent in Th. 410 vv., in Sc. 179, in Op. 396, longe frequentiorem quam diaeresin in fine praebet incisionem masculam, quae e spondeorum incisionibus maximam exemplorum copiam exhibet. Omnino e centenis secundae sedis spondeis eam exhibent quinquageni septeni (56,8: in Th. 242 = 59,0, Sc. 97 = 54,2, Op. 220 = 55,6). Longe etiam minus quam primi spondei incisiones inclinat ad deminuendam vim suam; cuius modi exempla Th. exhibet 40 = 16,5. Sc. 20 = 20,5, Op. 41 = 18,6 [5]. Unde emergit non multum abesse, quin e se-

---

[1] i. e., si omnia carminum exempla inspicimus, e centenis 70,6. Pag. 23 vidimus primi dactyli incisionem masculam pro exemplorum numero aeque saepe infirmari: 70,7.

[2] Decimus septimus igitur fere quisque spondeus mascula caesura integra utitur: Th. 5,1, Sc. 10,1, Op. 4,4. Pag. 23 vidimus dactylos pro suo numero paulo saepius exhibere integram masculam incisionem.

[3] Idem valet de primi dactyli caesura mascula integra.

[4] Omnino igitur quartus quisque spondeus (24,4 e centenis) in prima sede positus in integram incisionem exit. Ex iis, quae pag. 23 de primo dactylo in diaeresin non minutam exeunti exposita sunt, apparet eum eadem fere ratione uti (23,4).

[5] Observare licet Sc., quod frequentiora firmioraque quam Th. aut Op. exhibet diaeresis exempla in primi spondei fine, rariora infirmioraque idem exhibere semiternariae spondaicae exempla.

cundae sedis spondeis dimidia pars incisione integra instructa sit: Th. 202 = 49,3, Sc. 77 = 43,0, Op. 179 = 45,2[1].

Hic spondeus omnino raro exit in diaeresin; Th. eius incisionis exempla exhibet 59, Sc. 26, Op. 66. Qui numeri longe minores fiunt, seductis exemplis, quae vim suam amittunt; cuius modi est dimidia fere pars: in Th. 19, in Sc. 17, in Op. 33. Quae si seiungimus, in Th. e denis fere huius sedis spondeis singuli diaeresin infractam exhibent: 40 = 9,8; in Sc. e vicenis singuli: 9 = 5,0; in Op. e duodenis: 33 = 8,3[2].

Tertius pes spondeus semper fere utitur semiquinaria caesura. Th. ex 142 versibus ea instruit 131, Sc. e 90 exhibet ea praeditos 86, Op. ex 182 ea utuntur in 172; rarissime etiam haec caesura deminutionem passa est, nec nisi elisione, quae saepe facillima est (τε) et in interpunctione posita (quinquies). Totus Hesiodus quindecim tantum huius caesurae deminutae exempla exhibet, quorum exstat in Th. unum, in Sc. quattuor, in Op. decem[3]. Quare pro pedum numero omnium incisionum maxime frequentatur haec, quam e centenis spondeis nonageni sibi asciscunt (90,3: in Th. 130 vv. = 91,5, in Sc. 82 = 91,1, in Op. 162 = 89,0[4]).

Incisiones post huius sedis arsin spondaicam ne tertiam quidem partem earum, quae thesin excipiunt, praebent: in Th. exstant 40, in Sc. 31, in Op. 45. Infirmissimam esse debere hanc diaeresin et inde apparet, quod nusquam nisi praemissa semiquinaria integra nobis occurrit, et quod longe plurimis locis vim suam aliis causis aut deminuit aut prorsus fere amittit; cuius generis exstant in Th. 31, in Sc. 28, in Op. 39 exempla; quare, quantum post semiquinariam fieri potest, valere videntur in Th. 9

---

[1] Conferre licet secundi dactyli caesuram principalem, semiternariam; quae ut paulo rarius pro dactylorum copia exhibetur, ita saepius deminutionem patitur. Vide pag. 24.

[2] Confer ea, quae de diaeresi in secundi dactyli fine posita disseruimus pag. 25. Unde apparet utramque diaeresin, dactylicam et spondaicam, ratione habita exemplorum, quae vim suam servant, ad eandem fere rationem frequentari. Quod spondaica saepius pro numero suo infirmatur, haud dubie fit, ne versus in adonios distineantur. Confer pag. 9.

[3] Th. 381, Sc. 132, 155, 174, 255, Op. 144, 281, 344, 348, 389, 512, 582, 585, 670, 784.

[4] Quod tertius dactylus non praebet caesuram, quae aeque frequentatur — vide pag. 25 — non ostendit eum facilius quam tertium spondeum incisione carere — rarius enim pro exemplorum copia incisione caret —, sed pendet ex ea re, quod semiquinaria tertii spondei respondet et ad masculam et ad trochaicam tertii dactyli caesuram.

huius diaeresis exempla, in Sc. 3, in Op. 6. Quamquam etiam ex his sunt, qui in arsi ponant voces ad encliticarum naturam accedentes (ἤ, pron. rel., artic.)[1].

Quum editores nullum versum Hesiodeum exhibeant, qui nisi praemissa semiquinaria integra caesuram mediam spondaicam praebeat, libri mss. quidam in Sc., ut animadvertimus pag. 8 n. 1, duos exhibent versus, qui, caesuram in tertio pede spondeo omittentes, vocis finem in fine pedis ponant,

v. 199: ἔγχος ἔχουσ᾽ ἐνὶ χειρὶ[2] χρυσέην τε τρυφάλειαν —

v. 202: ἱμερόεν κιθάριζε(ν) Λητοῦς καὶ Διὸς υἱός —

hunc versum alii libri recte scribunt: Διὸς καὶ Λητοῦς (Rz. Λητόος) υἱός. Quam legendi rationem veram esse apparet etiam ex hymn. II, 367, III, 243, 321, ubi eandem clausulam invenimus[3]. Nescio an prava scribendi ratio sit emendatio alicuius ignari hominis, qui evitare voluit versum spondaicum (Λητοῦς)[4]. „Incidit in Scyllam qui vult vitare Charybdin".

---

[1] Imprimis octo hi versus in tertia arsi spondaica collocant voces, quae suae dicionis esse videntur: Th. 291 (βοῦς); 389, 397, (Στύξ); 545, 561, Op. 565 (Ζεύς); Th. 828 (πῦρ); Sc. 421 (δρῦς). E quibus maxime Th. 545, 561 aliquid intermissionis in media caesura ponere videntur:

Ὣς φάτο κερτομέων Ζεὺς ἄφθιτα μήδεα εἰδώς.

Ὣς φάτο χωόμενος Ζεὺς ἄφθιτα μήδεα εἰδώς.

De firma caesura media tertium dactylum excipiente vide pag. 28, n. 2. Nescio an excogitaverit aliquis βοῦς tertiam arsin occupare Th. 291, ut quasi sub aspectum subiciat boum tardum gradum:

ἤματι τῷ, ὅτε περ βοῦς ἤλασεν εὐρυμετώπους —.

[2] Variantes lectiones sunt: ἐν χειρί, ἐν χερσί.

[3] At Fragm. 107, Rz. = CXXV, G.-Fl. in uno cod. Par. exhibet ad similitudinem Sc. versus:

Ἀρσινόη δὲ μιγεῖσα Λητοῦς καὶ Διὸς υἱῷ — .

[4] Si quis sibi non potest persuadere quemquam, ut versum minus molliter fluentem mutaret, versum aperte mendosum creasse, afferre licet eiusmodi versus dimidiatos medii aevi versificatoribus mendosos visos vix esse. Johannes Tzetza maiore cura utitur ne versus in clausulas spondaicas exeant, quam ne, omissa tertii pedis spondei caesura semiquinaria, in duas partes aequales dispescantur. Spondaici enim versus in Antehomericis (sequor *Lehrsii* editionem, *Parisiis MDCCCXLI*), quae 406 versus continent, 25 tantum = 6,2 nobis occurrunt; quorum versuum plus tertia pars (10) in clausula ponunt nomina propria, quae semper aliquid excusationis habere putantur; ut hac re Tzetza carminum Hesiodeorum conditoribus deterior non sit. Vide supra pag. 6. At duplo fere plures versus dimidiati sunt, 49 = 12,1 (Cum *Hilbergio, Das Princip der Silbenwägung, Wien 1879*, qui pag. 3 sqq. huiusmodi versuum mentionem facit, omitto vv. 61, 94, 118, 124, 190, 270, qui, diaeresi

Nisi malumus credere librarii menti obversatum esse Il. I, v. 9 initium: Λητοῦς καὶ Διὸς υἱός [1].

De v. 199 magis est dubitandum, num emendandus sit. Negari enim non debet Sc. interdum deteriores leges metricas sequi, ut liceat etiam cogitare de tali elumbi, ut Wolfii utar verbis [2], versu. Sed in tali cogitatione non est acquiescendum. Quaerendum est, num quae exstet verisimilis sanandi via.

Metro consulere student, qui χρῦσείην (non sine librorum aliquot auctoritate) scribunt; sed quum non licuerit epico poetae huius vocis vocalem υ corripere, hi monstrum versus verbo monstruoso emendare conantur neque audiendi sunt (Heinrich, Lennep [3]; Paley et G.-Fl. in contextu); Bentley, quem sequitur Rzach, in interiore versu vult: . . . ἐνὶ χερσὶν ἰδὲ χρυσέην . . .; Hermannus, Il. X, 76 conferens, commendavit clausulam: . . . (χειρὶ) φαεινήν τε τρυφάλειαν. Paley in an.: ἔγχος ἔχουσα χεροῖν, χρυσείην τε κτλ; in quam emendationem afferre licet verbum, quod est χείρ, in carminibus Hesiodeis non agnoscere dualis numeri formas, ne iis quidem locis, ubi aperte respicitur una persona [4]. Olim mihi in men-

adhibita, saniores fiunt: quamquam nescio an propius ad carminum Tzetzaeorum indolem accedant, qui εὐ- monosyllabum, κάλλει disyllabum efferunt). Ad hos versus, in tertia sede spondeo usos, accedunt 32, in quibus caesura media excipit dactylum non incisum.

Quod videtur emendator v. 202 ne id quidem curasse, ut adderetur ν parag. voci κιθάριζε (tres libri ν omittunt, unus exarat), mirandum non est. Similes enim versus trochaeo pro spondeo usi in Tzetzae Antehomericis sunt:

14: Φράζεο δ' Αἰακίδαο | πότμον δακρυόεντα·
156: Θησείδην τ' Ἀκάμαντα | καὶ Διομήδεα δῖον —
382: ἰλλάσιν αὐτὸν ἔδησαν. | Ἑλλάδος ὡς προδοτῆρα —

Confer etiam Fragm. versum supra allatum.

[1] Observatione dignum est scholia eundem vocum ordinem adhibere: ἐκιθάριζεν . . . ὁ Ἀπόλλων, ὁ υἱὸς τῆς Λητοῦς καὶ τοῦ Διός. *Hesiodi quod fertur Scutum Herculis ex recognitione Wolfii edidit Ranke. Quedlinburgi et Lipsiae. MDCCCXL.* (= Ranke) pag. 54.

[2] Ranke, pag. 97.

[3] *Hesiodi Scutum Herculis. Edidit C. F. Heinrich. Vratislariae. 1802. Hesiodi Scutum Herculis. Ex schedis defuncti* Lennepii *edidit I. G. Hulleman. Amstelodami. MDCCCLIV.* υ vocis χρυσός et χρύσεος corripi apud Pindarum docet *Heimer, Studia Pindarica. Lundae MDCCCLXXXV.* pag. 132.

[4] His locis plurales formae vocis χείρ personam unam respiciunt: Th. 283, 482, 487, 490, 519, 553, 575, 747, 756, 973; Sc. 107, 139, 193, 214, 266, 339, 446; Op. 94, 321, 725, 739, 740. Rationem non habeo Th. 823, ubi mentio fit manuum Typhoei. Qui ut habuit centum capita, ita haud dubie supra humanam sortem manibus fuit instructus.

tem venit legendum esse: χερσὶν ἔχουσ᾽ ἔγχος χρυσείην κτλ.; quam emendationem etiam placuisse Ribbeckio e Rzachii an. critica video. Exstat etiam in Lennepii in hunc versum annotatione. Quae emendatio hodie mihi displicet, et quod mihi non fingo Minervae imaginem ambabus manibus hastam tenentem, et quod versus sibi asciscit figuram perquam raram; confer pag. 5. Goettlingius duas proposuit emendationes, quarum altera metro soli consulit: ἔγχος ἔχουσα χερὶ χρυσείην κτλ., altera respicit omissam capitis significationem: ἔγχος ἔχουσ᾽ ἐν χερσὶ καρήατί τε τρυφάλειαν [1]. In illa probo, quod *unam* manum dicit. At aliquid dubitationis movet forma χερί, quae altero loco Hesiodeo non exstat [2]. In altera emendatione desideratam capitis significationem dedit, sed, ut omittam pluralem numerum χερσί, χρυσέην eiecit; quod vix licet. Apparet enim scholiastam hoc verbum legisse [3]. Muetzellio, teste Lennepio, versus visus est in duas partes dispescendus esse, quarum utraque fuerit initium versus:

ἔγχος ἔχουσ᾽ ἐν χερσὶ ◡ – ⏔ – (⏔) – ⏒
χρυσέην τε τρυφάλειαν ◡ – ⏔ – (⏔) – ⏒.

Quarum omnium emendationum quum nulla verisimilitudine ceteras vincat, ut dubitationes nostras summoveat, tutius iudico versum monstruosum secundum libros excudere.

Quartae sedis dactylum supra vidimus principali caesura uti ea, quae in fine est, longe rarius exhibere masculam. Eius sedis spondeus aliter se habet ille quidem. Duplo enim fere saepius accipit semiseptenariam, quam eam, quae spondeum excipit. Illa exstat trecenties nonagies, haec centies nonagies bis. E 272 spondeis, qui in Th. hanc sedem occupant, 155 = 57,0 semiseptenaria utuntur, 86 = 31,6 spondaica, ex 136, quos praebet Sc., exstat semiseptenaria in 76 = 55,8, spondaica in 31 = 23,5, inter 242, qui in Op. nobis obvii sunt, semiseptenaria instructi sunt 159 = 65,7, spondaicam adhibent 75 = 31,0. Magis etiam inter se distant

---

[1] Vox, quae est καρήατι, exstat Th. 577.

[2] χειρί exstat Th. 174, 178; (Sc. 199;) Op. 468, 497. Stirpis forma χερ apud Hesiodum nobis non occurrit nisi in χερ-σί(ν) et χέρ-εσσιν.

[3] Scholiastae verba sunt apud Rankium, pag. 53: Ἐν δὲ τῇ ἀσπίδι ἦν καὶ ἡ Ἀθηνᾶ . . . ἔχουσα κοντάριον ἐν χερσίν, ἐν τῇ κεφαλῇ τε φοροῦσα χρυσῆν περικεφαλαίαν . . . Silicet ἐν τῇ κεφαλῇ e suo addere potuit is, qui paraphrasin fecit, vix autem χρυσῆν. Quam vocem etiam tuentur scholia, quae editioni suae conexuit Heinrich, pag. 81: φοροῦσα καὶ περικεφαλαίαν χρυσῆν . . . Quare etiam minus placet Hermanni coniectura φαεινήν exhibens.

harum incisionum numeri, semotis iis, quae deminutionem patiuntur; longe saepius enim deminuitur spondaica diaeresis quam semiseptenaria. E semiseptenariis deminutam habeo annotatam octavam fere quamque: in Th. 26 = 16,8, in Sc. 7 = 9,2, in Op. 17 = 10,7. Unde emergit plus dimidiam partem quartae sedis spondeorum semiseptenaria integra instructos esse, 340 e 650: Th. 129 = 47,4, Sc. 69 = 50,7, Op. 142 = 58,7 [1]. At non multum abest quin, coniunctis carminum exemplis incisionum in fine spondei, alternae incisiones deminutionem subeant, 86 ex 192: Th. 30 = 34,9, Sc. 15 = 48,4, Op. 41 = 54,7. Unde fit ut omnino sextus fere quisque spondeus in hac sede in diaeresin non minutam exeat (106 e 650: in Th. 56 = 20,6, Sc. 16 = 11,8, Op. 34 = 14,0).

Quintus pes spondeus longe saepius incisionem respuit quam accipit. E 64 eius pedis exemplis, quae praebet Th., 44 incisione carent, 19 in thesi incisione utuntur, 1 in fine (v. 48), e 40, quae in Sc. exstant, 5 tantum incisionem adhibent, seminovenariam scilicet, e 48, quae exhibent Op., 13 seminovenaria utuntur, 1 quinta spondaica (v. 354) [2]. E seminovenariae exemplis 15 incisionem deminuunt: in Th. 9, in Sc. 1, in Op. 5.

Omnium rarissima est incisio, quae excipit quintum spondeum [3]. Duo exempla exstant,

Th. 48: ἀρχόμεναί θ' ὑμνεῦσι θεαὶ λήγουσαί τ' ἀοιδῆς —

et Op 354: καὶ δόμεν, ὅς κεν δῷ, καὶ μὴ δόμεν, ὅς κεν μὴ δῷ.

Ille versus offendit et propter insolitam hanc incisionem, quam non admodum mitigat elisa vocalis, et propter synizesin inusitatam (ἀοιδῆς = ᾠδῆς). Sunt, quibus placeat varia lectio, quae est λήγουσί τ' ἀοιδῆς· quae mihi videtur esse emendatio metri causa facta. Haud dubie ἀρχόμεναι illud valet ad tuendum λήγουσαι [4]. Alii ad emendandi remedium confu-

---

[1] Ut hic in quarto spondeo, ita pag. 29 vidimus Op. in quarto dactylo magis quam Th. aut Sc. frequentare semiseptenariam.

[2] Hic unus versus ex iis, qui in quinta sede spondeum collocant, quintae sedis incisioni adiungit incisionem sextae sedis.

[3] Sunt, qui prorsus negent hanc incisionem. Quod ut non ausim, ita singula exempla iure in examen vocari censeo. Ludwich, *De hexametris poetarum Graecorum spondiacis. Halis. MDCCCLXVI.* pag. 36 sqq. defendit hanc incisionem apud vetustiores poetas. De eadem re agit *Aristarchs Homer. Textkritik*, II, pag. 330 sqq. Confer Hilbergium, pag. 12.

[4] Confer fragm. 211 Rz. = G.-Fl. CXXXII, v. 4:

ἀρχόμενοί τε Λίνον καὶ λήγοντες καλέουσιν.

gerunt; quorum tamen nemo est, quem probem [1]. Cum Rzachio assentior Ellgero, qui hunc versum falso insertum esse iudicat [2]. Sed is, qui eum inseruit, haud dubie λήγουσαί τ' ᾠδῆς appellavit et forsitan etiam exaraverit; unde emergit versum posterioris temporis esse [3]. Quare iure, ni fallor, Hesiodus hac caesura liberatur.

Quod ad Op. 354 attinet, pessimus est. Vix exstat apud Hesiodum alter versus, qui ita incisionibus inter pedes distineatur. Si excipimus diaeresin post quartum dactylum, quae est legitima caesura, quum omnino

---

et h. XXXIV (hymnos affero e *Baumeisteri* editione maiore, *Lipsiae. MDCCCLX.*), v. 17:

οἱ δέ σ' ἀοιδοὶ
ᾄδομεν ἀρχόμενοι λήγοντές τ'.

[1] Hodie vix est, cur verba faciamus de Bergkii coniectura: λήγοντέ τ' ἀοιδῆς· qui dualis numeri usus iusto audacior est. Melius Dindorfius, qui in editione sua *(Hesiodus cum brevi annotatione critica. Lipsiae. MDCCCXXV)* suadet videndum esse, an poeta dixerit ἀρχόμεναί θ' ὑμνεῦσιν ἰδὲ λήγουσαι ἀοιδῆς· quae scribendi ratio nihil habet, quod non apud antiquum poetam legi possit; quamquam credibile non est ex hac legendi ratione librorum scripturam ortam esse. Rzach iure hodie improbat coniecturam, quam ipse proposuit Wien. Stud. III, pag. 317: ἀρχόμεναι ὑμνεῦσι τε καὶ λήγουσαι ἀοιδῆς· vir doctissimus videre debuit versum ita scriptum laborare caesura media; quae nulla caesura tertii pedis praemissa, excipiente voce semiproclitica, perquam est firma; de καί particula in hac sede posita vide supra pag. 20. Alter versus, tam firma caesura media usus, non exstat apud Hesiodum. Simillimus est Th. 647, de quo egimus pag 28, et Il. I, 179:

οἴκαδ' ἰὼν σὺν νηυσί τε σῇς καὶ σοῖς ἑτάροισιν —

sed huius versus caesura media infirmissima est, et quod σῇς eam excipit, et quod firmissima est semiseptenaria. Neque valet ad defendendum versum emendatio, quam Schoemann annotavit in exemplari suo editionis Wolfii *(Theogonia Hesiodea. Halae Saxon. CIↃIↃCCLXXXIII)*, quod hodie meis manibus teritur, αὐδῆς pro ἀοιδῆς, allegans v. 97: γλυκερή οἱ ἀπὸ στόματος ῥέει αὐδή. (αὐδή et ἀοιδή sunt variae lectiones Sc. 278, 396). Idem versum uncis inclusit. Sed in editione sua *(Die Hesiodische Theogonie. Berlin. 1868)* versum retinet neque emendat.

[2] *Die Zusätze zu dem Proömium der Hesiodischen Theogonie (Progr. des Sophien-Gymnasiums. Berlin 1883)* pag. 5: „Es werden in dem Inhaltsverzeichnis durch πρῶτον 44 und αὖτις 50 zunächst zwei Hauptteile gegenüber gestellt; in dem einen besingen die Musen die Götter, in dem andern die Menschen und Giganten. Der erste wird sodann durch ἐξ ἀρχῆς und δεύτερον wieder in zwei Unterteile zerlegt; sie besingen nämlich im Anfang die Kinder des Uranos und der Gaia d. i. die Titanen, dahinter den Zeus. Sie können also nach dem δεύτερον nicht ἀρχόμεναι und vor dem αὖτις nicht λήγουσαι den Zeus preisen".

[3] Conferre licet Orac. Sibyll. *(ed. Friedlieb. Lipsiae. MDCCCLII)* IX (XI) v. 322 exhibere: Ἀλλ' ἄναξ, νῦν παῦσον ἐμὴν πολυήρατον ἀοιδήν.
X (XII) v. 294 incipit ab his: ἀοιδὴν ἀμβροσίην· ubi Alexandre, teste Rzachio, Wien. Stud. l. l., excudit αὐδὴν ἀμβροσίην.

singuli versus vix exhibeant singula diaeresis exempla, hic versus **tria exhibet**. Accedit, quod praeter semiquinariam ceterae incisiones **masculae** admodum sunt infirmae. Quod abest ab hoc versu omnis ars **Hesiodea**, suspectum eum habemus. Rzach eum spurium iudicat [1].

Libri mss. duos exhibent versus huc pertinentes, in quibus **Rzach** iure, ni fallor, excudit dactylum pro spondeo,

Sc. 202: ἱμερόεν κιθάριζε Διὸς καὶ Λητοῦς υἱός — (Λητόος)

et Op. 574: φεύγειν δὲ σκιεροὺς θώκους καὶ ἐπ' ἠῶ κοῖτον — (ἠόα) [2].

Ad extremum addantur incisiones, quae exstant in sexta sede. **Apparet** eas raras esse, ne exeant versus in monosyllaba. Th. **exhibet 14**, in Sc. nobis obviae sunt 7, in Op. 14 [3]. Qui omnes versus praeter **tres** (Th. 830, Sc. 303, Op. 684), exeunt in longam syllabam [4]. Quinque tan-

---

[1] Confer Ludwichium, De hexametris etc. pag. 33. Quod alter **versus spondiacus in** quattuor monosyllaba exiens non invenitur in tota Graecorum poesi epica (vix ὅς et κέν **iure** monosyllaba dicit, quum in versu disyllabae vocis fungantur vicibus), animadvertit **Op. 354** ad parilitatem gnomae formatum esse.

[2] Accedit Fr. 107 Rz.:

Ἀρσινόη δὲ μιγεῖσα Διὸς καὶ Λητοῦς υἱῷ — (Λητόος).

Apud Hilbergium, pag. 13, videre licet exempla Homerica huc pertinentia. **Vix est**, qui, exemplis inspectis, persuasum non habeat dactylum plerumque iure restitui. **E viginti** tribus enim, quae affert Hilberg, duodecim in quinta sede collocant Ἠῶ, quam **vocem** sequitur ἱδρῶ, quod semel invenitur; Πατρόκλεις quater legitur, νηλιτεῖς ter, αἰδοῖ, εἶασ', δήμου singulis locis. Credibile est exempla, quae apud Hesiodum exstant, **exempla Homerica** sequi; quare iure, credo, Rzach formas dissolutas exhibet.

[3] In encliticas monosyllabas non pauci exeunt versus. E Th. annotavi 40, e **Sc. 19**, ex Op. 10; e quibus in τε exeunt 60 (37 in Th., 16 in Sc., 7 in Op.). Quos scilicet **hoc** loco omitto.

[4] Vox monosyllaba finalis vicies quinquies est nomen substantivum: βοῦς Op. 795 (εἰλίποδας ἕλικας βοῦς); δρῦς Op. 232 (οὔρεσι δὲ δρῦς); Ζεύς Th. 56, 520, 904, 914, Sc. 33, 383, Op. 104 (μητίετα Ζεύς); Th. 514, Op. 229, 239, 281 (εὐρύοπα Ζεύς); Th. 558, Op. 53 (νεφεληγερέτα Ζεύς); Th. 820, Sc. 89 (ἐξέλασε, ἐξέλετο Ζεύς; Fr. 3, 3 ὠνόμασε Ζεύς); Ζῆν Th. 884 (εὐρύοπα Ζῆν); Κήρ Sc. 156 (ἐν δ' ὀλοὴ Κήρ); κῆρ Sc. 435 (ἀχνύμενος κῆρ); νύξ Th. 726 (ἀμφὶ δέ μιν νύξ); πῦρ Th. 319 (ἀμαιμάκετον πῦρ); χθών Th. 458, Sc. 373 (εὐρεῖα χθών); χρώς Op. 416 (βρότεος χρώς); semel verbum ita ponitur, δῷ, in pessimo versu, Op. 354, de quo vide pag. 39; voces pronominales hae claudunt versus: ἥν Th. 819 (θυγατέρα ἥν); τῷ, τά, τῶν Op. 754 (ἔστ' ἐπὶ καὶ τῷ), 684 (ἀλλά νυ καὶ τά), 513 (ἀλλά νυ καὶ τῶν); σφέων Th. 144 (οὕνεκ' ἄρα σφέων); quater exit versus in particulas: γάρ Th. 830 (ἄλλοτε μὲν γάρ); δή Op. 600, 614 (αὐτὰρ ἐπὴν δή); πρό Sc. 303: καρχαρόδοντε κύνε πρό. Apparet ex his versuum clausulis non paucas exempla Homerica sequi.

tum versus videntur incisionem deminuere: Th. 830, 862 [1], Op. 513, 684, 754. Ter tantum praemittitur spondeus in quinta sede: εὐρεῖα χθών Th. 458, Sc. 373, ὅς κεν μὴ δῷ Op. 354; ceteris locis praemittitur dactylus.

Quaestione de singulis incisionibus ad finem perducta, clarioris conspectus causa incisiones per tabellas exponam, secundum firmitatem dispositas. Earum, quae deminuuntur, rationem non habeo. Numeris indicabo et quotiens singulae caesurae integrae inveniantur et quot pedes e centenis eas exhibeant:

	Th.			Sc.			Op.		
	caesuram	ex:plorum s:a	e 100:is	caesuram	ex:plorum s:a	e 100:is	caesuram	ex:plorum s:a	e 100:is
I:o loco ponit	semiquin. spondei	130	91,5	semiquin. spondei	82	91,1	semiquin. spondei	162	89,0
II:o " "	tertiam troch.	623	70,8	tertiam troch.	237	60,8	semisepten. spondei	142	58,7
III:o " "	dactyli bucolicam	383	51,1	dactyli bucolicam	180	52,3	tertiam troch.	361	55,9
IV:o " "	semitern. spondei	202	49,3	semisepten. spondei	69	50,7	dactyli bucolicam	317	54,1
V:o " "	semisepten. spondei	129	47,4	semitern. spondei	77	43,0	semitern. spondei	179	45,2
VI:o " "	semitern. dactyli	226	36,9	quintam troch.	173	39,3	semisepten. dactyli	249	42,5
VII:o " "	semisepten. dactyli	269	35,9	semitern. dactyli	118	39,2	quintam troch.	306	39,2
VIII:o " "	quintam troch.	328	34,2	semisepten. dactyli	127	36,9	semiquin. dactyli	240	37,2
IX:o " "	primam dactylicam	146	23,9	primam spondaicam	57	33,9	semitern. dactyli	142	32,9
X:o " "	semiquin. dactyli	204	23,2	semiquin. dactyli	130	33,3	quintam dactylicam	221	28,3
XI:o " "	primam spondaicam	86	20,9	primam troch.	75	24,0	primam troch.	143	28,1
XII:o " "	quartam spondaicam	56	20,6	quintam dactylicam	100	22,7	primam dactylicam	124	24,4
XIII:o " "	quintam dactylicam	188	19,6	primam dactylicam	64	20,5	primam spondaicam	77	24,1

[1] Hic versus exit in ὥς post positum: κασσίτερος ὥς —

XIV:o loco ponit	primam troch.	118	19,3	seminoven. dactyli	80	18,2	secundam troch.	75	17,4
XV:o „ „	seminoven. dactyli	160	16,7	secundam troch.	42	14,0	seminoven. spondei	8	16,6
XVI:o „ „	seminoven. spondei	10	15,6	quartam spondaicam	16	11,8	quartam spondaicam	34	14,0
XVII:o „ „ [1]	secundam troch.	91	14,9	secundam dactylicam	33	11,0	seminoven. dactyli	94	12,1

Spero fore ut ex his tabellis eluceat me iure dactylorum incisiones ab iis, quas exhibent spondei, seiunxisse. Rerum enim metricarum scriptores, quos ego quidem adire potuerim, mihi videntur non satis observasse discrimen, quod hac in re praebent dactyli et spondei. Afferre licet R.-W. III, pag. 13 docere tertiae sedis incisiones legitimas, semiquinariam et trochaicam, aeque saepe usurpari. Quod non longe a vero distat, si semiquinariae spondaicae exempla addimus iis, quae tertius dactylus exhibet; quamquam tum etiam trochaica semiquinariam frequentia vincit [2]. Si autem semiquinariam spondei seiungimus ab ea, quam praebet dactylus — id, quod debemus, quum appareat alteram incisionem, trochaicam, in dactylo solo exhiberi — invenimus in Th. et Sc. et secundum et quartum dactylum magis quam tertium frequentare masculam caesuram, Op. autem ut semiternariam rarius, ita semiseptenariam frequentius quam semiquinariam usurpare [3]. Rectius docent, pag. 15, semiseptenariam et bucolicam

[1] Quae restant incisiones omitto, quod et rarissimae sunt, neque, opinor, in iis, quae sequuntur, erit, cur peculiarem earum rationem habeam.

[2] Tertia trochaica in carminibus Hesiodeis exhibet 1221 exempla, semiquinaria 947, iunctis dactyli et spondei exemplis. Longe tamen non abest quin Th. duplo saepius exhibeat illam quam hanc; Op. magis frequentant semiquinariam. Trochaicam exhibet Th. in 623, Sc. in 237, Op. in 361 vv., semiquinariam praebet Th. in 334, Sc. in 212, Op. in 401. Quod Hartel, Homer. Stud. I, pag. 437 (vide pag. 47, n. 3) docet de tertiae sedis caesuris in Il. I nobis obviis, non debet nos fallere. Dicit enim hoc carmen semiquinariam exhibere in ducentis nonaginta octo versibus, tertiam trochaicam in trecentis octo. Scilicet vir doctissimus — id, quod miror — caesuram statuit inter voces encliticas et eas, quarum accentui obnoxiae sunt (eiusmodi exempla sunt triginta quattuor), itemque inter procliticas et voces, quae illas excipiunt (cuius rei exempla duo exstant). Quare sex tantum invenit versus, caesura legitima tertii pedis carentes: 145, 218, 307, 400, 466, 584 (quibus ego addo 132, 179, 435). Inde factum est ut secundum hunc auctorem ducenti nonaginta septem (non octo) versus semiquinariam, trecenti octo tertiam trochaicam exhibeant, omissis qui alterutram deminuunt.

[3] Hoc non prohibet, quo minus omnino, ubi nobis occurrit integra, semiquinaria maiore vi utatur quam semiternaria aut semiseptenaria. Quod scilicet pendet ex eius in versu loco.

aequari frequentia, spondeum autem quartum rarius bucolicam quam semiseptenariam exhibere [1]. Exactiorem autem rationem si volumus, apparet dactyli bucolicam tertia fere parte exemplorum in Th. et Sc. superare semiseptenariam, in Op. autem quinta fere, spondei autem semiseptenariam ternis partibus e quaternis in Sc. et Op., tribus e quinque in Th. diaeresin spondaicam vincere.

Caesurae est prohibere, quo minus secundum pedes in partes ita dispescantur versus, ut is, qui legit, non sentiat e partibus unum constitui. Notissimus est versus ille Ennianus:

Sparsis hastis longis campus splendet et horret;

qui, quippe cui incisiones desint, versus non videtur esse, sed spondei iuxta positi. Pag. 39 disseruimus de Op. v. 354, qui nobis visus est iusto plures adhibere incisiones inter pedes. Sed et hic versus et quicunque fere nobis occurrit, certam quandam exhibet caesuram principalem, quae in unum conectat versus partes, ut Sc. v. 43:

νούσου ὕπ᾽ ἀργαλέης | ἢ καὶ κρατεροῦ ὑπὸ δεσμοῦ —

ubi incisio post tertiam thesin efficit ut minus observet is, qui legit, vocem monosyllabam ἢ et tertium pedem finem in eodem loco ponere; quare, incisione facta, quodammodo cogitur ἢ referre ad sequentem versus partem. Unde fit ut in duas partes inaequales distineatur versus, quae in unum coalescant necesse est, quum neutra earum per se totum sit. Caesurae igitur versus partes, i. e. pedes, in unum conectunt [2].

Quum illud sit caesurae officium, apparet versus principales caesuras poni debere in tertio aut quarto pede, ut vim suam in totum versum extendant. Imprimis tertiae sedis caesura versuum elegantiae magni momenti est. Admodum pauci sunt etiam versus, qui ea careant. Cuius modi versus exstant

---

[1] Coniunctis quarti dactyli et spondei incisionibus, exstat semiseptenaria in 985 vv.: Th. 398, Sc. 196, Op. 391; bucolica in 986: Th. 439, Sc. 196, Op. 351.

[2] Caesura bucolica videri potest aliter se habere; quae quum locum habeat inter pedes, non conectit versus partes, sed dispescit. Quod si magis subtiliter de hac re quaerimus, non contrarium est ei, quod supra diximus caesurae propositum esse. Caesura enim bucolica, ut supra vidimus, maioris momenti est iis tantum versibus, qui in quarta sede dactylum exhibent; quibus versibus sic prodest caesura bucolica, ut eos in binas partes inaequales dispescat;

ut Th. 88: τοὔνεκα γὰρ βασιλῆες ἐχέφρονες, | οὕνεκα λαοῖς —;

quarum quum neutra tota ex se apta sit, altera alteram sibi ita adnectit, ut simul totum efficiant.

dactylum in tertia sede exhibentes in Th. 13, in Sc. 4, in Op. 8 [1];
spondeum „ „ „ „ „ „ 9, „ „ 3, „ „ 10 [2].

Sed ex his versibus alii ex aliis rebus excusationem sibi petunt.

Censent rerum metricarum scriptores nomina propria legibus metricis non obnoxia esse. Qui enim versus, caesuram tertii pedis neglegentes, in hac sede collocant nomen proprium, ex ea re satis excusationis petere ducunt. Re vera non pauci versus tali excusatione utuntur. Quo nomine hi versus, dactylo in tertia sede usi, annotandi sunt: Th. 1 Ἑλικωνιάδων, 257 Εὐαγόρη, 258 Αὐτονόη, 614 Ἰαπετιονίδης, 909 Εὐφροσύνην; Sc. 314 Ὠκεανός; 433 Ἀμφιτρυωνιάδης; Op. 383 Ἀτλαγενέων. Accedunt hi, qui in ea sede spondeum collocant, Th. 249 Ἀκταίη, 342 Αἴσηπον, 345 Ἄρδησκον, 353 Γαλαξαύρη, 947 Διώνυσος.

Si tertius pes caesura caret, semper semiseptenaria usurpatur [3]. Solet etiam aut semiternaria aut κατὰ δεύτερον τροχαῖον, quae vocatur, caesura, aut quae posita est post secundum pedem antecedere. Semiternaria nobis occurrit illa quidem in 22 versibus [4]; in 13 autem exstat secunda trochaica caesura [5]; post secundum pedem collocata est caesura septies [6].

At his in versibus secundus pes caesura caret:

Th. 466: τῷ δ' ἄρ' ὅ γ' οὐκ ἀλαοσκοπιήν —
501: Λῦσε δὲ πατροκασιγνήτους —
614: οὐδὲ γὰρ Ἰαπετιονίδης —
Sc. 433: τοῖος ἄρ' Ἀμφιτρυωνιάδης —
Op. 441: τοῖς δ' ἅμα τεσσαρακονταέτης —

---

[1] Th. 1, 11, 17, 136, 257, 258, 443, 448, 466, 614, 751, 851, 909; Sc. 314, 323, 376, 433; Op. 183, 206, 220, 383, 441, 509, 573, 774.

[2] Th. 249, 256, 342, 345, 353, 501, 544, 882, 947; Sc. 176, 251, 377; Op. 244, 267, 319, 409, 454, 455, 486, 503, 602, 698.

[3] E 47 versibus, qui tertii pedis caesuram omittentes semiseptenariam exhibent, praeter Th. 353 nullus eam deminuit. Unde concludere licet, quanti intersit hanc caesuram integram servare, quum ex iis, quae de semiseptenaria traduntur pagg. 29 et 37, emergat omnino sextum quodque eius exemplum obscurari.

[4] Th. 1, 11, 17, 136, 448, 544 (ὡς), 851; Sc. 251, 314, 323, 376; Op. 206, 220, 267, 319, 383, 409, 454, 455, 503, 509, 698. Th. 851, Op. 454 obscurant caesuram.

[5] Th. 249, 256, 257, 258, 342, 345, 353, 909, 947; Sc. 176, 377; Op. 573, 774.

[6] Th. 443, 751 (obscur.), 882; Op. 183, 244, 486, 602. Ex iis versibus, qui semiternariam praemittunt, septem etiam in dactyli fine exhibent incisionem integram: Sc. 314, 376, Op. 220, 267, 455, 503, 509.

De primo versu vide infimam pag. 13. E ceteris duos e nominibus propriis excusationem petere, duos e verbis iunctis apparet. Docent enim docti viri incisiunculam quandam observari in commissura verborum iunctorum. Hoffmann, § 11; R.-W. III, pag. 17. Neque iniuria id docere videntur; quod inde imprimis concludere licet, quod commissura verborum iunctorum semper in legitima caesura ponitur. Nullum exstat in carminibus examinatis exemplum, quod commissuram in illegitima illa post tertium pedem caesura collocet, — id, quod, opinor, vix casu factum est. Quare equidem censeo caesuram in commissura iunctarum vocum debilissimam esse illam quidem, fortiorem tamen esse quam ut liceat, nulla tertiae sedis caesura praemissa, eam in illegitimae mediae caesurae loco ponere.

Hoc loco afferendi sunt versus, qui vocum iunctarum commissuram collocant in caesura legitima tertii pedis. In semiquinaria posita est commissura Th. 17, 136: χρυσο-στέφανον, 256: φιλο-μ-μειδής, 466: ἀλαο-σκοπιήν, 501: πατρο-κασι-γνήτους, 544: ἑτερο-ζήλως; Sc. 377: τανύ-ρ-ριζοι; Op. 206: ἐπι-κρατέως, 774: δυω-δεκάτη. In ea, quae est κατὰ τρίτον τροχαῖον, caesura collocata est his in versibus Th. 11: αἰγί-οχον, 448: μουνο-γενής; Sc. 323: ἡνί-οχος, 376: ὑψί-κομοι; Op. 183: ξεινο-δόκῳ, 441: τεσσαρα-κοντα-ετής, 509: ὑψι-κόμους. Etiam inter nomina propria in tertio pede posita sunt, quae commissuram in legitima caesura collocent. Vide pag. 44.

R.-W., III, pag. 18 dicunt versus, qui, caesuram tertii pedis neglegentes, neque e vocibus iunctis, neque e nominibus propriis excusationem petant, tam raros esse, ut singulos tantum singuli libri exhibeant; id vere dictum esse credo de carminibus Homeri, cuius in Il. I duos tantum versus eiusmodi inveni,

v. 218: ὅς κε θεοῖς ἐπιπείθηται — | v. 584: ὣς ἄρ᾽ ἔφη, καὶ ἀναΐξας [1] —

At crebriores sunt apud Hesiodum versus id genus; Th. exhibet quattuor:

443: ῥεῖα δ᾽ ἀφείλετο φαινομένην — | 851: Τιτῆνές θ᾽ ὑποταρτάριοι —
751: ἔρχεται, οὐδέ ποτ᾽ ἀμφοτέρας — | 882: Τιτήνεσσι δὲ τιμάων —

---

[1] R.-W., III, pag. 18 (conferendus est *Spitzner: De versu Graec. heroico. Lipsiae MDCCCXVI*, qui pag. 9 observavit carmina Hesiodea hac re deteriorem sequi rem metricam), ut omittunt v. 584, ita afferunt v. 106:

μάντι κακῶν, οὐ πώποτέ μοι τὸ κρήγυον εἶπας·

Nonne ut aliis locis, sic hoc loco licuit iis statuere caesuram omissam aliqua ex parte compensari commissura, quae est in πώ-ποτε? An obstat id, quod πώποτε compositum est e vocibus encliticis? Alii scribunt πώ ποτε.

Sc. exhibet duos:

176: τοὶ δ' ἔτι μᾶλλον ἐγειρέσθην —	251: δῆριν ἔχον περὶ πιπτόντων·

Op. non minus quam duodecim praebent:

220 τῆς δὲ Δίκης ῥόθος ἑλκομένης —	455 φησὶ δ' ἀνὴρ φρένας ἀφνειός —
244 οὐδὲ γυναῖκες τίκτουσιν —	486 ἦμος κόκκυξ κοκκύζει [1] —
267 Πάντα ἰδὼν Διὸς ὀφθαλμός —	503 οὐκ αἰεὶ θέρος ἐσσεῖται —
319 αἰδώς τοι πρὸς ἀνολβίῃ —	573 ἀλλ' ἅρπας τε χαρασσέμεναι —
409 ἡ δ' ὥρη παραμείβηται —	602 θῆτά τ' ἄοικον ποιεῖσθαι —
454 ῥηίδιον δ' ἀπανήνασθαι·	698 ἡ δὲ γυνὴ τέτορ' ἡβώοι —

E 47 igitur versibus, quos caesuram tertii pedis omittentes exhibent carmina Hesiodea, 18 neque nominibus propriis neque iunctis verbis excusantur.

Versus, qui quartae sedis incisionem omittunt, annotavi

dactylo in ea sede usos: Th. 97, Sc. 50, Op. 48;
spondeo „ „ „ „ : „ 63, „ 42, „ 49;

qui versus plures sunt quam ut liceat uberius de singulis quaerere. Duae fere eorum partes excusantur — si omnino excusatione opus est — aut nominibus propriis aut vocibus iunctis. Tertia autem neque habet neque requirit excusationem.

Quarto pede caesuram omittente, quintus pes solet exhibere [2]. R.-W. III, pag. 16, docent, omissa quartae sedis caesura, quintam sedem uti so-

[1] Hic versus etiam alio modo caesuras non bonas exhibet, quod incipit a duabus vocibus, quae eaedem spondeos efficiunt, caesuras integras spondaicas exhibentes. Exstant apud Hesiodum pauci versus, quorum primi et secundi pedes incisionibus integris excipiuntur, nulla in pedibus exstante caesura, sed omnes aut in alterutra aut in utraque sede dactylum collocant, ut similitudo aliquantum evitetur. Huius generis unus tantum exstat versus, Th. 797, qui eo minus offendit, quod interpunctione primum dactylum a secundo seiungit: βρώσιος, ἀλλά τε — ut incisionum similitudo minus observetur. Illius autem generis haec exstant exempla: Th. 27, 47, 417, 933; Sc. 92; Op. 559; e quibus Sc. 92, ut Th. 797, interpungit inter primum et secundum pedem: σχέτλιος· ἤ που —. Op. 486 autem videtur in meliorem caesurarum ordinem redigi posse hoc modo:

ἦμος κοκκύζει κόκκυξ δρυὸς ἐν πετάλοισι —.

Nisi persuasum habemus poetam studio evitasse consonarum congeriem, quae tum fieret in semiseptenaria. Fortasse etiam, spondeis κόκκυξ κοκκύζ- invicem se excipientibus, hanc consonantiam industria servavit; quae minuitur, si voces transponuntur.

[2] Unus exstat in Sc. versus, qui, si statuimus procliticas encliticasque voces eam sequi, cuius accentui obnoxiae sunt (infim. pag. 13), quintae sedis caesuram neglegit,

v. 93: ἦν ἀάτην ὀχέων· ἡ δ' οὐ παλινάγρετός ἐστιν.

lere ea, quae κατὰ πέμπτον τροχαῖον vocetur, rarius usurpari caesuram seminovenariam. Idem docet Alexanderson, l. l. § 71. Hoffmann autem, l. l. § 19, dicit seminovenariam *saepissime* usurpari, ubi versui desit quartae sedis caesura maior; quamquam quintam trochaicam in comparationem non vocat, credere licet eum observasse seminovenariam magis quam quintam trochaicam frequentari in versibus, quartae sedis caesuram neglegentibus. Apud Hesiodum quidem haec res ita se habet, ut non multum absit, quin duae partes horum versuum seminovenaria utantur, tertia fere quinta trochaica, paucissimi dactylicam quintam adhibeant [1].

Cap. III.

De caesuris interpunctione auctis [2].

Apparet saepe, accedente interpunctione, caesuras firmiores fieri. Quare etiam invenimus interpunctiones maxime in caesuris principalibus poni. Hoffmann, § 27, docet apud Homerum prae ceteris semiquinariam caesuram, trochaicam tertii pedis, quarti pedis eam, quae in fine sit, tali modo firmari [3]. Neque aliter res se habet in carminibus Hesiodeis. Semiqui-

---

[1] Si recte calculos subduxi, e versibus, quorum in mentione versamur, in Th. 104 seminovenariam, 50 quintam trochaicam, 6 dactylicam tertiae sedis caesurae iungunt, in Sc. 55 seminovenariam, 33 quintam trochaicam, 3 dactylicam, in Op. 52 seminovenariam, 40 quintam trochaicam, 5 dactylicam. Op. ea re differunt a Th. et Sc., quod longe magis inclinant ad usurpandam quintam trochaicam, ubi quartus pes est spondeus, quam ubi est dactylus. Quarto enim spondeo caesuram omittente, duodetricies usurpant quintam trochaicam, undevicies tantum seminovenariam, dactylo autem eius sedis incisionem neglegente, tricies ter accedit seminovenaria, duodecies quinta trochaica. Neque Th. neque Sc. tale discrimen statuit.

Quum Il. I eandem videatur sequi rationem atque Th. et Sc., omnino dubito, num de Homeri carminibus vera sint ea, quae docent R.-W. Vereor, ne ex ea re, quod e quintae sedis incisionibus trochaica maxime frequentatur, temere concluserint eandem debere saepissime accedere ad tertii pedis caesuram, quarta sede caesuram omittente.

[2] Apparet alios editores aliam sequi interpungendi rationem. Quum tamen discrimen imprimis in frequentia interpunctionum versetur, credo ea, quae petere licet e Rzachii editione, etiam de aliis valere, sive rarius sive frequentius interpunctiones ponunt, modo earum usus sibi constet.

[3] Conferendus est Hartel, Homer. Stud. I, pag. 437 sqq. (*Sitzungsberichte der kaiserlichen Akademie der Wissenschaften. Wien 1871, 1874.* I = tom. LXVIII, pagg. 383–468, II = tom. LXXVI, pagg. 329–376, III = tom. LXXVIII, pagg. 7–87.)

nariam enim, accedente interpunctione, firmant in Th. 92 versus, in Sc. 83, in Op. 126 [1], tertiam trochaicam augent interpunctione in Th. 84 versus, in Sc. 52, in Op. 65, bucolicam in Th. 92, in Sc. 48, in Op. 93 versus [2]. Observandum est Th. narrationem longe quietiorem esse, ideoque in eo carmine rarius interpunctiones, imprimis graviores, usitatas esse quam in Sc. aut Op. Nam, ratione non habita signorum interpungendi, quae commata dicimus, quum Sc. caesuras, de quibus est mentio, maiore interpungendi signo firmet in 65 versibus, Op. in 78, in Th. 53 tantum versus ea caesurae augendae ratione utuntur, i. e. in Th. e centenis versibus quini fere, in Sc. quaterni deni, in Op. noveni has caesuras interpunctione maiore augent.

Quod attinet ad semiseptenariam interpunctione auctam, Hoffmann, I, § 28 dicit ille quidem eam *paullo* tantum *rariorem* ceteris, quarum mentionem fecimus, caesuris exstare. At ex iis, quae affert Hartel l. l., elucet interpunctionem longe rarius collocari in semiseptenaria quam in ceteris caesuris principalibus. Neque aliter res se habet in carminibus Hesiodeis, Op. exceptis, quae admodum saepe in semiseptenaria interpungunt. Quum enim Th. exhibeat viginti unum versus, Sc. quattuordecim, hanc caesuram interpunctione augentes, in Op. interpunctione firmatur in quinquaginta octo versibus, i. e. in Th. quadragesimus nonus quisque versus, in Sc. tricesimus quartus, in Op. decimus quartus quisque hac interpungendi ratione utitur [3]. Sc. proxime videtur accedere ad usum Home-

---

[1] Semiquinariam spondei firmiorem esse caesuram quam semiquinariam dactyli vel inde elucere videtur, quod pro exemplorum copia saepius in illa quam in hac interpunctionis augmentum ponitur. E 574 semiquinariae dactyli exemplis 169 = 29.4 e centenis (Th. 52 e 204 = 25,5, Sc. 42 e 130 = 32,3, Op. 75 e 240 = 31,3), e 373, quae exhibet tertius spondeus, exemplis, 132 = 35,4 (Th. 40 e 130 = 30,8, Sc. 41 ex 82 = 50,0, Op. 51 e 161 = 31,7) in interpunctione posita sunt.

[2] Omnes in bucolica caesura positae interpunctiones excipiunt dactylum, praeter sex, quae spondeum excipiunt: Th. 329 (Νεμείης,), 727, (δειρήν·), 819 (ὀπυίειν,); Sc. 172 (μέγας λῖς,); Op. 366 (ἑλέσθαι,), 397 (ἐργάζευ, — ἐργάζεο? ut φυλάσσεο v. 491). Quae pro sua parte ostendunt bucolicam caesuram longe minoris esse momenti post spondeum quam post dactylum.

[3] Memoria tenendum est semiseptenariam magis frequentari in Op. quam in Th. aut Sc. Vide tabellas pag. 41.

ricum. Secundum enim Hartelium tricesimus secundus quisque versus apud Homerum interpunctione firmat semiseptenariam.

Recte, mea quidem sententia, Hermannus, teste Hoffmanno, indicavit semiseptenariae vim, interpunctione auctam, maiorem esse quam vim caesurae tertii pedis, interpunctionis augmento carentis. Ut Sc. 36:

εὐνῇ καὶ φιλότητι μίγη, τέλεσεν δ' ἄρ' ἐέλδωρ·

necessario fit, ut intermissionem vocis principalem in semiseptenaria ponamus. Apertior etiam est res, ubi maius usurpatur interpungendi signum, ut Sc. 296:

οἱ δ' αὖτ' ἐς ταλάρους ἐφόρευν. παρὰ δέ σφισιν ὄρχος —.

Quo in versu quin semiseptenaria sit principalis caesura, dubitare non licet. Quare ego quidem non video, qua ratione ductus Hartel, l. l. pag. 438, dubiam ducat Hermanni sententiam. Tertio autem pede prorsus omittente incisionem, semiseptenariam esse principalem caesuram vel ex eo apparet, quod e quadraginta septem eiusmodi versibus quattuordecim (i. e. tertius fere quisque) eam interpunctione augent (Th. 443, 851; Sc. 176, 251, 376, 433; Op. 220, 244, 319, 409, 454, 503, 698, 774).

Pro numero versuum rariora sunt in hac caesura quam in ceteris principalibus maiora interpungendi signa; bis enim tantum Th.: vv. 174, 551; quater Sc.: 251, 293, 296, 478; quinquies Op.: 453, 454, 469, 545, 797, maiore interpunctione utuntur [1]. Confer Hartel., l. l. pag. 437.

Hac caesura saepius semiternaria et ea, quae in fine primi pedis est, interpunctione firmantur. In Th. enim 87 versus, in Sc. 32, in Op. 76 eo modo augent semiternariam, incisionem, quae est in fine pedis primi in Th. 65, in Sc. 32, in Op. 44 versus interpunctione firmant. Admodum saepe etiam maiores interpunctiones exstant in semiternaria: in Th. vicies septies, in Sc. ter decies, in Op. vicies quinquies. In ea, quae est post primum pedem, undecies in Th. exstat maior interpunctio, in Sc. undecies, in Op. octies.

---

[1] Quod supra, pag. 37, docuimus quartum spondeum caesura principali uti semiseptenaria, quartum autem dactylum bucolica, ita interpungendi ratio affirmat, ut pro incisionum numero saepius augeat semiseptenariam spondei quam dactyli. Nam e 340 exemplis semisepten. spond. interpunctionem accipiunt 40 = 11,8 [Th. 8, Sc. 4, Op. 28 (= 19,1)], ex 645, quae in dactylo exstant, 52 = 8,1 [Th. 12, Sc. 10, Op. 30 (= 12,0)].

Ex interpungendi rationibus, quae restant, ceteris frequentior est ea, quae posita est post primam trochaicam caesuram. Haec enim caesura interpunctione firmatur in Th. 15 locis, in Sc. 3, in Op. 6. Ter Th. eo loco maiorem ponit interpunctionem, 178: πάντη· ὁ δ' ἐκ κτλ. 198: θρέφθη· ἀτὰρ κτλ. 664: Ὣς φάτ'· ἐπῄνεσσαν κτλ. Op. unum addunt locum, v. 10: τύνη· ἐγὼ κτλ. Praeter hos locos quinque sunt, qui in minore interpunctione corripiunt aut longam vocalem aut diphthongum: Th. 606: ζώει, ἀποφθιμένου - Sc. 173: δοιοί, ἀπουράμενοι - 265: χλωρή, αὐσταλέη - Op. 104: σιγῇ, ἐπεί - 123: ἐσθλοί, ἐπιχθόνιοι -. Quater in elisione collocata est interpunctio, Th. 392: εἶπε δ', ὃς ἄν - 490: λείπεθ', ὅ μιν - 582: κνώδαλ', ὅσ' ἤπειρος· (664: Ὣς φάτ'· ἐπῄνεσσαν). Dimidia igitur pars exemplorum neglegit quodam modo et irritas facit interpunctiones. Nam et elisio brevium vocalium et correptio longarum (vel diphthongorum) quasi iungit ea, quae disiungit interpunctio. Unde licet concludere poetam in hoc loco minus apte versus partes interpunctione distendi sensisse [1].

Ceterae caesurae admodum raro interpunctione augentur; ea, quae est post primam thesin ter interpunctione firmatur in Th.: 283, γένθ', ὁ δ' ἄορ -, 426, οὐδ', ὅτι -, 853, Ζεὺς δ', ἐπεὶ οὖν -. Quae interpunctio ubique igitur posita est in elisione [1]. Secunda trochaica caesura firmior redditur bis in Op.: 85, δῶρον ἄγοντα, θεῶν κτλ. 436: δρυὸς ἔλυμα, γύην κτλ. Ea, quae est post secundum pedem, bis in Th., semel in Op. interpunctione firmatur: Th. 322: ἡ δὲ χιμαίρης, ἡ δ' ὄφιος κτλ. 554: χώσατο δὲ φρένας, ἀμφὶ δέ μιν κτλ. Op. 10, antecedente in prima trochaica caesura maiore interpunctione: τύνη· ἐγὼ δέ κε, Πέρσῃ, κτλ.

Seminovenariam firmat interpunctio quater; Sc. semel, maiore interpunctione usum,

v. 32: ἐννύχιος· τάχα δ' ἷξε Τυφαόνιον· τόθεν αὖτις —

Op. ter, 89: αὐταρ ὁ δεξάμενος, ὅτε δὴ κακὸν εἶχ', ἐνόησε.

196: δυσκέλαδος κακόχαρτος ὁμαρτήσει, στυγερώπης.

408: μὴ σὺ μὲν αἰτῇς ἄλλον, ὁ δ' ἀρνῆται, σὺ δὲ τητᾷ —

Semel Th., secundum Rzachium aliosque, firmiorem reddit quintam trochaicam caesuram, Th. 832:

ταύρου ἐριβρύχεω, μένος ἀσχέτου ὄσσαν, ἀγαύρου —.

---

[1] De Homero confer Hartelium, I, pag. 438.

Quo loco num Schoemann, Fl.[1], G.-Fl., Rz. iure secuti sint Wieselerum[2] suadentem *post* ὄσσαν, non *ante* interpungendum esse, dubitationem movet id, quod alter versus Hesiodeus, qui eo loco interpungat, non exstat[3]. Homerica quaedam exempla affert Hoffmann, I, § 33; quibus tamen locis dissentiunt editores num interpungendum sit; sane sive ponitur sive omittitur interpunctio, vocis intermissio debilis est vel plane nulla[4]. Hartel I, pag. 439. Jam Schoemann, Opusc. acad, vol. II, pag. 352, monuerat, verbis ὄσσαν ἀγαύρου coniunctis, ταύρου v. 832, λέοντος v. 833, non habere, unde penderent, cui rei medicinam petivit e facillima emendatione: ὄσσαν ἄγαυρον. Wieseler autem, Schoemanni emendationem respuens, docet emendatione opus non esse, modo post ὄσσαν interpungatur; quamquam Schoemann iure dixit ipsam concinnitatem et verborum collocationem postulare, ut coniungeretur accusativus ὄσσαν cum adiectivo ἀγαύρου ad eundem modum, quo antea μένος ἀσχέτου. Wieseler vero censet, sua interpungendi ratione probata, ὄσσαν vocem pendere e φθέγγοντο et regere ταύρου atque λέοντος. Quae vera esse mihi non persuasit. Censeo enim alio modo melius explicari hunc difficillimum locum. Dixit poeta in centum draconis capitibus fuisse voces sonum omnis generis emittentes (παντοίην ὄπ᾽ ἰεῖσαι v. 830). Ea, quae sequuntur, quodam modo ἀνακόλουθα mihi videntur. Haec intellegenda esse duco:

ἄλλοτε μὲν γὰρ
φθέγγονθ᾽ ὥστε θεοῖσι συνιέμεν· ἄλλοτε δ᾽ αὖτε [ἐοικότα (v. 834) ὀπὶ (v. 830)]

---

[1] *Die Hesiodischen Gedichte. Herausgeg. von Hans Flach. Berlin. 1874.*

[2] *Observationes in Theogoniam Hesiodeam a Friderico Wieselero scriptae. Gottingae MDCCCLXIII.* pag. 18. Re vera Wieseler non primus sic distinguit. Jam ante eum exstat haec interpungendi ratio in editione Basileensi, an. 1542, in editione Pasoris, ed. Amstelodami 1646, in editionibus Cornelii Schrevelii, edd. Lugd. Batavorum CIƆIƆCL et Lipsiae MDCCXIII. Neque aliter hunc locum interpretatur editio, quae e typographia Commelini prodiit Heidelbergae (?) an. CIƆIƆXCIIX; id quod, quamquam omittitur signum interpungendi, apparet e latina huius versus interpretatione: „Sonabant . . . tauri valde mugientis, robore insuperabilem vocem, ferocis". Omnes legunt cum libris: ἄσχετον. Animadvertendum est editionem Basileensem nihilo minus ita vertere, quasi legeret ἀσχέτου: „Tauri valde mugientis, robore incoercibilis vocem, ferocis".

[3] Potius mirum fortasse videtur, quod tam firma et frequentata incisio non plures exhibet interpunctiones. Sed fini versus propior est locus, quam ut apte ab eo incipiat nova sententia.

[4] Tria huius interpunctionis exempla exstant in III hymno: 208, 265, 377.

ταύρου ἐρ[ι]βρύχεω, μένος ἀσχέτου, ὄσσαν ἀγαύρου,
ἄλλοτε δ' αὖτε [ἐοικότα ὀπὶ] λέοντος ἀναιδέα θυμὸν ἔχοντος,
ἄλλοτε δ' αὖ σκυλάκεσσιν ἐοικότα [= σκυλάκων ὀπὶ ἐοικότα] κτλ.

Scilicet ἀνακόλουθον in eo positum est, quod poeta pro voce catulorum ipsis catulis similia dixit sonuisse voces capitum draconis. In quibus ego nihil invenio, quod a locutione Hesiodea alienum sit [1].

Ratione igitur habita interpunctionis, v. 832 nobis videtur ad eos versus, qui in bucolica interpungunt, referendus esse [2].

Hesiodus igitur nusquam interpunctione auget incisiones, quae excipiunt 1) tertium pedem; 2) quartum trochaeum; 3) quintum trochaeum; 4) quintum pedem; 5) sextam thesin. Quod ad singula carmina attinet, praeter has interpunctiones Th. non agnoscit eas, quae sunt in secunda trochaica caesura et in seminovenaria; Sc. neque caesuram, quae est post primam thesin, neque secundam trochaicam, neque quae est post secundum pedem, umquam interpunctione auget; Op. abnuunt interpunctionem post primam thesin [3].

Ex iis, quae adhuc de Hesiodea interpungendi ratione exposita sunt, emergit caesuras, quo firmiores sint, eo frequentiores accipere interpunctiones. Quod quum ita sit, exspectare licet frequentius etiam versus in interpunctionem exire, quum vocis intermissio, quae inter versus fit, necessarie

---

[1] Guietus voluit: ὄσσαν ἵεντο. Paleyo placet ad genitivos ταύρου et λέοντος intellegere: φωναὶ ἦσαν, e. v. 829; minus apte, ut mihi videtur.

[2] Silentio non omittendum est Wieselerum in ea re offendisse, quod poeta, quum primo loco epitheton ἐριβρύχεω posuerit, altero autem ad aliam proprietatem designandam subiecerit μένος ἀσχέτου, tertio dictionem adhibuerit, qua denuo significetur *vox* leonis. Accedit, quod hoc solo loco ὄσσα de animalis voce dicitur. Quod docet Schoemann in hunc versum. Quod quum ita sit, forsitan emendatione egeat vox, quae est ὄσσα.

Addendum est K.-K. (*Hesiodea quae feruntur carmina. Rec. Koechly, lect. variet. subscr. Kinkel. Lipsiae MDCCCLXX.*) secundum libros versum hoc modo exarare:

ταύρου ἐριβρύχεω, μένος ἄσχετον ὄσσαν ἀγαύρου —.

Sed ἄσχετος mihi non videtur aptum esse, quod referatur ad ὄσσαν. ἄσχετος enim non est, ut interpretantur quidam, qui haec verba iungunt: *insuperabilis*, sed ἄσχετος dicitur is, cuius tantum est robur, ut retineri non possit (qui omnia obstacula facile vincit).

[3] Homerus vero praeter interpunctionem in quarta trochaica caesura positam etiam haec, quae respuunt carmina Hesiodea, interpunctionum genera agnoscit, sed raro. Hoffmann, I, §§ 31—34. Post quintum pedem et sextam thesin iis tantum locis interpungi, ubi vocativus casus versus clausulam efficiat, docet Hartel, I, pag. 439. Confer hymn. V, 137, 203.

magis intendatur, quam quaevis ex iis, quae in interiore versus parte ponuntur. Invenimus in Th. 639 versus = 62,5 e centenis, in Sc. 275 = 57,3, in Op. 536 = 64,7 finem in interpunctione ponere. Op. imprimis scatent maiorum interpungendi signorum hoc loco. Cuius modi exstant 352 = 42,5; Th. eius generis exhibet 316 = 30,9, Sc. 154 = 32,1.

Cap. IV.

De positione ante iunctas mutam et liquidam.

Lex est ut duabus consonis appellandis tanto opus sit temporis spatio, ut antecedens brevis vocalis una cum consonis in longae syllabae quantitatem abeat. Intercedit tamen ea inter consonas ratio ut aliae facilius, aliae nisi summa metri necessitate brevem non servent antecedentem vocalem. Quae ceteris facilius productionem evitant, sunt mutae cum liquidis iunctae, i. e. mediae β γ δ, tenues π κ τ, aspiratae φ χ θ, accedente aliqua ex his: λ μ ν ρ. Quae consonarum coniunctio, quum interdum neglegat productionem, debilis positio vocatur. Praeterea observandum est alia tempora aliaque poesis genera aliam sequi ponendi legem; La Roche [1] non iniuria dicit Homerum necessitatis legem sequi, quippe qui paucissima exhibeat correptionis exempla, quae evitare potuerit; at Attici poetae longe saepius corripiunt quam producunt, eamque praecipue sequuntur legem, ut corripiatur brevis vocalis finalis in debili positione posita; Pindarus autem, quem aetas ad Atticos, dialectus magis admovet ad epicos poetas, medium tamquam locum inter hos et illos obtinet [2]. Ionica etiam dialectus magis quam Attica correptionem evitat. R.-W. II, 2, pag. 292. Quin neque mutae neque liquidae eodem modo inter se favent correptioni. Quibus productio, quibus correptio circumscribatur finibus apud Hesiodum ea, quae sequuntur, ostendent.

[1] *Homerische Untersuchungen. Leipzig 1869.* Pag. 1.

[2] R.-W. II, 2, pag. 291, sqq; Alexanderson, § 17; Heimer, pag. 89. Quod attinet ad Pindarum, quum eius carmina maxima metrorum varietate distincta sint, difficillima est quaestio, quid ad producendas corripiendasve vocales breves, iunctis muta et liquida exceptas, valuerit metrica necessitas. Alia metra facilius, alia minus facile correptiones admittere observavit Heimer, pag. 112.

In duo genera distribuuntur exempla positionis; quorum unum ea continet exempla, ubi vocalis et consonae eiusdem vocis sunt, alterum ea, quorum vocalis est finalis vocis antecedentis, consonae in fronte vocis sequentis sunt positae. Tertium genus est id, quod ea complectitur exempla, quorum consonae altera alterius sunt vocis. Cuius generis exempla ubique producere constat [1]. Sed quum Hesiodus unum tantum huius generis exemplum praebeat, Th. 178: πάντῃ· ὁ δ' ἐκ λοχεοῖο κτλ., huius generis rationem postmodum non habebo. Neque exstat apud Hesiodum ullum verbum compositum, cuius prius membrum in mutam exit, posterius a liquida incipit. ἀφνειός enim, quod quinque exhibet exempla productionis, non, ut docuerunt veteres grammatici, compositum est e praepositione ἀπ(ό) et ἔνος (ἔνος) [2].

I. Exempla, in quibus liquida excipit mutam in interiore vocum parte.

a) Exempla, in quibus liquida, quae est λ, excipit mutam.

Productionis exempla haec sunt:

βλ. Th. ἑλικοβλέφαρον 16; Sc. ἀμφίβληστρον 215; Op. ὀκτάβλωμον 442; βίβλινος 589.

γλ. Th. Ἀγλαΐην 909, 945; ἀγλαόν 628; ἀγλαά 366, 412, 644;
Sc. ἀγλαΐῃ 276; ἀγλαΐαι 285; ἀγλαΐης 272; ἀγλαός 37;
Op. ἀγλαά 337; ἐκπάγλους 154; Fr. ἀγλαός 97,2; ἀγλαά 33,5; 58,2.

πλ. Th. ἄπλαστοι 151; ἄπλητος 153, 709; ἄπλητον 315; ἐπιπλομένων 493; ἔπλετο 425, 836; ἔπλητ' 193; εὔπεπλον 273; κροκόπεπλος 358, -ον 273; κυανόπεπλον 406; ὅπλα 853; ὁπλότατος 137, -ον 333, 478, 821, ὁπλοτάτην 946; περιπλομένων 184; ὑπέροπλον 619, 670, ὑπερόπλου 516;
Sc. ἄπλητον 268, -οι 230, -αι 250, ἀπλήτων 147; ἐπιπλομένων 87; εὐπλεκέων 306; Ὁπλέα 180; τανύπεπλον 83;

---

[1] Schmidt, *Greich. Metrik. Leipzig. 1872.* pag. 81, cur ubique huius generis exempla producant, causam affert. „Aus welchem Grunde", inquit, „ist nun eine Quantitirung wie ἐ̆κ Ῥόδου, ἐ̆κ ῥόου undenkbar und unbelegbar, während man doch am häufigsten μᾰκρός, Λο̆κρός quantitirte? Weil man natürlich einen ganzen Satz doch nicht so eng zusammensprach, dass er völlig als ein einziges Wort erschien, und weil man einen Consonanten nur da überzog, wo das Gefühl des Wohlklanges es befahl, nämlich bei folgendem Vocale".

[2] Agit de huius vocis etymo Curtius, *Grundzüge der Griech. Etymologie. 5:te Aufl. Leipzig. 1879.* n:o 653.

Op. ἄπλαστοι 148; ἐπέπλων 650; ὅπλα 627; ὁπλήν 489; περιπλομένου 386;
Fr. ἐμπίπλησι 190,2 (= G.-Fl. CLXXIII: ἐμπίμπλησι); ἔπλετο 157,2; εὐπλόκαμοι 183,5; ὁπλοτάτη 36,2, -την 135,5, ὁπλότατον 122,2; τανύπεπλος 14,3.

κλ. Th. ἀγακλεῖτοῖσι 1016; ἀγακλυτός 945; ἐκλίνθη 711; ἐπίκλησιν 207; Ἡρακλῆος 530, 951; Ἡρακληείη 289, 982, -είης 332, -είῃ 315, -είην 943; κεκλῆσθαι 410, κεκλομένων 686, κικλήσκει 418, κικλήσκουσι 197; κέκλυτε 644; κυκλοτερής 145; Κύκλωπες 144, -πας 139; περικλυτός 571, 579; πολυκλύστῳ 189, 199;
Sc. ἐκέκλετο 341; ἔκλυε 68; ἐκλονέοντο 317; Ἡρακλῆος 74, 138; Ἡρακληείη 115, 349, 416, -είῃ 452, -είην 52, 69; Ἰφικλῆα 54, Ἰφικλεΐδην 111; κεκλήγοντες 379, 412, κεκληγώς 99, 442; κύκλῳ 141, κυκλοτερής 208; ὁμοκλῆς 341; τηλεκλεῖτοῖο 327;
Op. ἔκλεψ' 51; ἐπίκλοπον 67, 78; κεκληγυίης 449; κικλήσκουσι 818; περικλυτόν 60; πολυκλήϊδα 817;
Fr. δουρικλεῖτῷ 122,1; Ἴφικλος 194,2; κατέκλα 143,1; κίκλησκον 3,2; Περικλύμενον 33,1; περικλυτός 38,3.

τλ. Th. Ἄτλας 517, Ἄτλαντα 509, Ἀτλαντίς 938; σχέτλιος 488;
Sc. ἔτλη 73, 432; σχέτλιος 92, -λίη 149;
Op. Ἀτλαγενέων 383; ἐχέτλης 467; σχετλίη 15, σχέτλιοι 187, -λια 124, 238, 254; τέτλαθ' 718; Fr. Ἄτλας 12,3.

φλ. Sc. καταφλέξαι 18; Op. πολυφλοίσβοιο 648.

χλ. Sc. Ἀχλύς 264; Op. μαχλόταται 586; Fr. μαχλοσύνης 53.

θλ. Th. ἀεθλεύωσιν 435; ἄεθλον 437; ἀέθλους 951, 994; γενέθλης 610; θεμέθλοις 816;
Sc. ἄεθλον 311, ἀέθλῳ 305, -λους 94, 127; ἔθλασε 140; Op. ἄεθλα 654.

Haec productionis exempla exstant. Quorum numerus est 152: in Th. exstant 62, in Sc. 45, in Op. 27, in Fr. 18. Accedunt quattuor, quae utrum producant an corripiant, in medio relinquo: Ἡρακλέης Th. 318, 527, Ἡρακλέα Sc. 448, 458. La Roche l. l., pag. 3, negat hanc vocem trisyllabam appellandam esse, propter digamma scilicet intermedium. Pindarus non agnoscit formam trisyllabam, ante κλ autem modo producit, modo corripit. Quod emergit ex iis, quae docet Heimer l. l. pagg. 90, 91. At observare licet formam Ἡρακλῆς iam exstare in titulo, quem sexto ante Chr. n. saeculo tribuunt, ut forsitan digammi non admodum

tenax fuerit haec vox [1]. Scilicet si digamma huius vocis firmius erat, quam ut appellando vinceretur, Ἡρακλέης eodem iure, quo ex. gr. Ἀφροδίτη, necessitatis legi oboediens, correptionem subiit [2].

b) Exempla, in quibus liquida, quae est μ, excipit mutam.

Productionis exempla haec sunt:

γμ. Op. πεπαλαγμένος 733; πεφυλαγμένος 706, 765;
Fr. ἀμαρύγματ' 140; εἱλιγμένος 65,2.

δμ. Th. Ἀδμήτη 349; ἴδμεν 27, 28, 656; ἰδμοσύνῃσιν 377; Κάδμος 937, -μφ 975, Καδμείῃ 940, Καδμείοισιν 326; ὑποδμηθεῖσ(α) 327, 374, 453, 962; φραδμοσύνῃσι(ν) 626, 884, 891;
Sc. εὐδμήτων 242; Καδμείους 13; ὑποδμηθεῖσα 53;
Op. δεδμημένοι 116; Καδμηίδι 162; προπεφραδμένα 655; φραδμοσύνῃσιν 245; Fr. ἀδμής 147,3; εὐδμήτοιο 142,4; ἴδμεν 189,2.

κμ. Th. ἄκμων 724; Ἁλιάκμονα 341;
Op. διετεκμήραντο 398; τεκμαίρεται 229, 239; Fr. τέκμαρ 192,2.

τμ. Th. ἀποτμήξας 188; ἀτμῇ 862; ἀϋτμή 696; νήϋτμος 795; τέτμῃ 610;
Op. ἐφετμῆς 298.

θμ. Th. πυθμέν' 932; Op. πυθμένι 369;
Fr. ἀριθμός 188,5; -όν 188,2,3; πυθμένι *156*,8.

χμ. Th. λελιχμότες 826; Sc. ἀκαχμένον 135; λίχμαζον 235; δοχμωθείς 389.

Haec igitur 53 exempla (Th. 25, Sc. 6, Op. 12, Fr. 10) omnia ante mutam cum liquida iunctam producunt vocalem brevem [3].

---

[1] G. Meyer, *Griechische Grammatik. Leipzig. 1880.* § 125. (A. Kirchhoff, *Studien zur Gesch. des Griech. Alphabets. Dritte Aufl. Berlin 1877.* pag 112.) Idem titulus digamma servat in voce ΓαρυϜόνης (Γηρυόνης).

[2] Si digamma in formis, quae sunt: Ἡρακλέης, Ἡρακλέα servari iubemus, ni fallor, necesse erit formam Ἡρακλῆος aliasque, dissolvere in Ἡρακλέεος (ἩρακλέϜεσος). Confer Meyerum, § 337.

Exempla quaedam Homerica, quae productionem neglegunt ante κλ et πλ, et unum, quod exstat ante τλ, σχετλίη Il. III, 414, collegit La Roche, l. l. pagg. 3, 4. In fragmento spurio CCLVII ap. G.-Fl. exstat correptionis exemplum, ἀκλεές.

[3] Neque a productionis lege recedit Homerus. De Od. VII, 89: ἀργύρεοι δὲ σταθμοί, quod aperte legi non potest, quamquam libri omnes id exarant, vide La Rochium, Hom. Unters. pag. 4.

c) Exempla, in quibus liquida, quae est ν, excipit mutam.

Haec exempla producunt:

γν. Th. γίγνεται 876; κασίγνητον 756; παραγίγνεται 429, 432, 436; πατροκασιγνήτους 501;

Sc. ἁγνός 203; ἄγνυτο 279, 348; διόγνητος 340; κασιγνήτω 50, -των 17; ὡριγνῶντο 190;

Op. ἁγνῇ 465, ἁγνῶς 337; γίγνεται 280, 323, γιγνόμενον 492; γιγνώσκων 281, ἔγνω 218; κασίγνητος 184, -γνήτοιο 328, -γνήτῳ 371, 707;

Fr. αὐτοκασιγνήτην 174,4; διογνήτοιο 148,4; Μάγνης 26, -νητα 25,2.

δν. Th. Ἀριάδνην 947; διασκιδνᾶσι 875; Ἔχιδνα 304, -ναν 297; κεδνήν 169, 608, κεδνά 66; σκιδναμένη 42;

Op. ἀλαπαδνόν 437; κεδνῇ 130, κεδνά 699.

πν. Th. ἀνάπνευστος 797; ἀποπνείουσα 324; ἐνέπνευσαν 31; ἐπιπνείουσι 872; Ὕπνος 759, -ον 212, 756;

Op. καπνοῦ 45, 629; πεπνυμένα 731; ὕπνῳ 116;

Fr. καπνῷ 239; ὕπνος 5,3, 157,4.

κν. Th. τέκνα 104, 149, 240, 308, 366, 385, 453, 644, 894, 968, 1020;

Sc. Κύκνος 65, 346, 368, 413, -ον 57, 329, 331, 468, 472, -νε 350; κύκνοι 316;

Op. ἄοκνος 495; ἄτεκνον 602; πυκνόν 584, -νά 553; τέκνα 235, 330;

Fr. τέκνον 160; τέκνωσε 159,2.

τν. Th. πότνια 368, -νιαν 11, 926; Αἴτνης 860;

Sc. ἔπιτνον 291; Op. πότνια 73;

φν. Th. ἀφνειόν 974; δάφνης 30; Sc. ἔπεφνεν 57;

Op. ἀφνειός 455, -οί 120, 308; δάφνης 435; Fr. ἀφνειή 156,2.

χν. Th. ἀχνύμενοι 623; τέχνης 547, 560, -νῃ 540, 555, 863, -νην 160, 770, -νῃσι 496, 929; Sc. ἀχνύμενος 435;

Op. ἀράχνης 777; ἀράχνια 475; ἐπάχνωσεν 360; ἴχνος 680; λάχνῃ 513.

θν. Th. καταθνητοῖσι 903; Sc. τεθνηῶτος 454, -ῶτα 158, -ῶτες 175;

Op. καταθνητοῖσι 484;

Fr. καταθνητῶν 128,1; -τοῖς 216,2; τεθνάμεναι 180,5.

His centum et viginti uno exemplis producentibus (Th. 49, Sc. 24, Op. 35, Fr. 13), semel Fr. ante litterarum coniunctionem, quae est πν, semel etiam Op. ante κν brevem servant vocalem, dico Fr. 218: μουσοπνόων; Op. 567: ἀκροκνέφαιος (Spitzner, pag. 98, in hunc versum: „nisi",

inquit, „ἀκρονέφαιος (?) mavis"), quas voces metrica necessitate corripere apparet [1]. Quin τέκνωσε Fr. 159,2 pro forma, quae est ἐτέκνωσε, iure Vossius restituerit, quemadmodum etiam v. 1 τέκος pro τέκνον, non dubitatur [2].

d) Exempla, in quibus liquida, quae est ρ, excipit mutam.

α) Productionis exempla haec sunt:

Th. ἐβρόντησε 839; ἐριβρύχεω 832; Ὀβριάρεως 734, -ρεφ 617; ὄβριμον 839, -μοι 148; ὀβριμοεργός 996; ὀβριμόθυμον 140; ὀβριμοπάτρης 587; ὑβριστής 996, -τήν 307, 514; ὑψιβρεμέτης 601, -την 568;
Sc. βεβρυχυῖα 160; ὄβριμον 135;
Op. καταβεβρίθασι 234; ὄβριμον 145, 619; ὕβρις 214, 238, ὕβριος 217, -ιν 134, 191, 213, -ιες 146; ὑψιβρεμέτης 8; Fr. ἁβρή 242.

γρ. Th. ἄγραυλοι 26; ἄγρην 442; Ἄγριον 1013; ἀγρομένοισιν 92; ἐγρεκύδοιμον 925; λυγρή 304, -ρῇ 650, 674, λυγρά 276, 313; ὑγρόν 869;
Sc. ἄγρια 236; ἀγροιώτας 39; ἀγροτέρης 407; παλινάγρετος 93;
Op. λυγρόν 530, -γρά 49, 95, 100, 200, 261; ὑγρόν 625.

δρ. Th. ἕδρη 386; ἑδριόωνται 388; πολύϊδριν 616; Ὕδρην 313 [3];

---

[1] Hic licet subiungere carmina Hesiodea semper producere ante iunctas liquidas, quae sunt μν. Quod Heimer, pag. 114, videtur non incredibile ducere Op. 20: ἀπάλαμνον cum libris quibusdam non contemnendis legendum esse, errat. Operum enim conditor nisi metrica necessitate coactus corripere non potuit ante talem consonarum coniunctionem. Si formam, μν quae utitur, scripsisset, ἀ privativum, quod dicitur, corripuisset, brevem α ante μν produxisset, ut Homerus, Il. V, 597. At nunc utitur forma, quae e quattuor brevibus syllabis constat, et ad exempla Homerica ἀθάνατος, ἀκάματος, ἀνέφελος, ἀ privativum producit. Praeterea perquam firmam esse apud Hesiodum coniunctionem litterarum μν apparet e Th. v. 135, ubi infirmissima vocalis ε (τε) in quartae arsis caesura firmissima, bucolica, producitur ante μν: Θείαν τε Ῥείαν τε Θέμιν τε Μνημοσύνην τε —.
Hesiodus in hac arsi non agnoscit productionem ante iunctas mutam et liquidam, si vocalis est finalis.

[2] Homerus non admittit correptionem (La Roche, pag. 5), neque hymni. Quod h. XIX, 20 Baumeister cum libris exhibet: φοιτῶσαι πυκνὰ ποσσὶν ἐπὶ κρήνῃ μελανύδρῳ —, πυκνά vix ferendum est. Recte haud dubie agunt, qui, ut Hermannus olim, teste La Rochio, Abel hodie (*Homeri hymni, epigrammata, batrachomyomachia. Lipsiae. MDCCCLXXXVI*) Barnesium secuti, πυκά legunt. Baumeister, πυκνά excudens, „penultima", inquit, „num corripi possit, eo magis dubito, quod altera forma, metro adaptata adest".

[3] κυδρή, quae vox exstat Th. 328, Op. 257, longa vocali υ utitur. Neutro loco libri consentiunt; alii enim κυδρή, alii κυδνή exarant; praeter G.-Fl., qui Th. 328 legunt κυδνή, recentiores, quos adii, editores utroque loco excudunt κυδρή.

Sc. ἄϊδρις 410; ἐδρύπτοντο 243; ἴδριες 351; ὑπόδρα 445;

Op. ἀδροσύνῃ 473; ἀΐδρείῃσι 685; ἀποδρέπειν 611; ἴδρις 778; ἱδρῶτα 289;

Fr. ἄνυδρον 49; ἔνυδρον 49; ἕδρανον 236; κέδρου 239.

πρ. Th. ἔπρεσε 856; Κύπρῳ 199, -ον 193; Κυπρογενέα 199; μεταπρέπει 430, μετέπρεπε 377; πέπρωτο 464, 475;

Sc. κάπρος 387, -οι 172; Op. ἀπόπροθι 390; κάπρον 790;

Fr. ἀποπρολιπών 155,3; Κύπριδος 4,2.

κρ. Th. ἀκροτάτης 62, ἀκροτάτῳ 7; ἀποκρύπτασκε 157; δακρυόεντα 227; διακρίνοντα 85; ἐκρίνοντο 535; κεκρύφαται 730; μακρός 680, -όν 391, -ήν 180, -ά 129, 835, 848, -ῇσιν 778;

Sc. ἄκριτον 311; ἄκρον 317, ἀκρότατον 33; δάκρυσι 132, 270; ἐπικρατέως 321, 419; 461; ἐπικροτέοντα 308; κεκριμένην 55; Λοκροί 25; μακρόν 466, -ρῷ 417, -ροί 266, -ρά 438;

Op. ἀκραέος 594; ἄκρῃ 233, -ρον 291, 467; ἀκροτάτῃ 681; ἀκροκνέφαιος 567; διακρινώμεθα 35; ἔκρυψε 47, 138; ἐπικρατέως 206; κατακρύπτων 471; κεκρύφαται 386; μακρός 290, -ραί 560; πολιοκρόταφοι 181;

Fr. ἄκρον 143,1; ἀποκρύπτουσι 11; Λοκρός 141,1; μακρόν 189,4 [1].

τρ. Th. Ἀμφιτρίτη 243, -της 930, -τῃ 254; Ἄτροπον 218, 905; ἀτρύγετος 696, -γέτοιο 413, 728, 737, 808, -γέτῳ 241, -γετον 131; ἀτρυτώνην 925; διοτρεφέος 992, -φέων 82; ἔτραπον 58; ἔτρεφε 107, 1001; θυγατρί 474, θύγατρα 265; κουροτρόφος 452, -φον 450; μετάτροπα 89; ὀβριμοπάτρης 587; παρέτραπε 103; πατρός 40, 164, 165, 171, 180, 262, 398, 472. -τρί 36, 53, 580, 896, 932; πατροκασιγνήτοιο 501; πέτρης 786, 792, -τρῃ 301, -τρην 35, -τρῃσι 778, -τρας 675, 715; Πετραίη 357;

Sc. Ἄτροπος 259; διοτρεφές 118; ἔτραπ' 456; ἐτράπεον 301; εὔτροχον 463; καλλίτριχας 372; ὀτραλέως 410; πατρός 322, 471; πατρίδα 1, 12; πέτρη (421 [2]), 437, -ρῃ 406, -ραι 375; Πετραῖον 185; τέτρατον 363; φαρέτρην 129;

---

[1] At μικρός Fr. 188,2, σμικρόν Op. 360, 361, -ρῷ 361 longa utuntur vocalis ι quantitate. Quare vereor ut iure Heimer, l. l. pag. 95, ea productionis exemplis adnumeret. Haec vox non corripit nisi apud posteriores poetas pessimae notae, ut in Tzetzae Antehom. v. 354.

[2] Rz., primam manum cod. M. sequens, iure, opinor, excudit h. l. πεύκη.

Op. ἀλιτραίνει 241; ἄροτρον 439, -τρα 432; ἀτρεμέωσι 539; βότρυς 611; ἐπιμετρήσω 397; ἐποτρύνειν 597; ἐτρέφετ' 131; εὐτροχάλῳ 599, 806; ἱπποτρόφου 507; κηριτρεφέων 418; κουροτρόφος 228; μέτρια 306; μέτρον 132, 438, 720, -ρῳ 350, 600, -ρα 648, 694; μετρεῖσθαι 349; πατρί 259; πατρώιον 376; πετραίη 589; πετρῆεν 533; τανύτριχα 516; τετραμμένος 727; τετράς 770, 794, -άδι 809, 819, -άδ' 798; τέτρατον 596; τετράτρυφον (utroque loco) 442; χυτροπόδων 748;

Fr. ἀλετρεύουσι 228; Ἀτρεΐδῃσι 225,2; ἔτρεφε 153; θύγατρα 148,4; μέτρον 100,2, 188,3, -ρου 188,5; πάτρης 8,2; πατρί 24,2, 249; πέτρην 98,1; πολυβότρυος 147,2; τέτρασιν 5,2; τετράκις 102,1; τετρακόρωνος 183,2.

φρ. Th. ἀεσιφροσύνῃσιν 502; ἀφρός 191, -ρῷ 197; ἀφρογενέα 196; δολοφρονέων 550; ἐπίφρονι 661, -ονα 122, 896; ἐπιφροσύνῃσιν 659; ἐπέφραδε 74, 162; ἐχέφρονες 88; κρατερόφρον(α) 297, 308, 509; ὁμόφρονας 60; ὄφρ' 128, 530, 645; ὀφρύσι 827, 911; περίφρονα 894; πεφραδέτην 475; Πεφρηδώ 273; πολυφραδέεσσι 494; πρόφρων 419, -φρονι 536, προφρονέως 433, 677; ταλασίφρονος 1012;

Sc. ἀφρός 389; δαΐφρων 119; δίφρου 321, 324, 392, 456, -ρῳ 61, 195, -ρον 338, 352, 465, -ρων 306, 370, -ρους 109; κρατερόφρονα 458; μετάφρενον 223; μελίφρονα 428; ὄφρα 28 (Rz. cum optimis libris: ὥς ρα), 108; περίφρονος 297, 313;

Op. ἀεσίφρονα 315, 335, 646; ἀφραδίης 134, 330; ἄφρων 210; δαΐφρονος 654; ἐλαφρότερος 417; ἐφράσαθ' 86; καταφράζεσθε 248; κρατερόφρονα 147; ὄφρ(α) 260, 299, 341, 544, 606, 625; πεφραδέμεν 766; πρόφρων 667;

Fr. ἀφράστοισι 157,4; περιφραδέως 230; πολυφραδέοντα 217,1; πυκινόφρων 152,1; ταλασίφρονος 34,1.

χρ. Th. μεταχρόνιαι 269; πολυχρύσου 980; Sc. πολυχρύσου 8, 47;

Op. ἁπαλόχροος 519; ἀχρήιος 297, 403; κεχρημένος 478, 634, -μένον 317, 500; πολυχρύσου 521; Fr. πολυχρύσου 152,3 [1].

θρ. Th. ἐθρέφθη 192; καλλιρέεθρον 339; ὄλεθρον 326; ῥέεθρα 695;

Sc. ἀθρόοι 246; ἀποθρώσκωσιν 375; ἐπιθρώσκουσα 438;

---

[1] ψυχρός Op. 514, -ρή Op. 547, -ρόν Th. 786 longa vocali ante χρ utitur. Heimer, pag. 97, hanc vocem inter productionis exempla annotavit.

Fr. ἔθρεψ' 40,2 [1].

β) Haec exstant correptionis exempla:

τρ. Th. Ἀμφιτρυωνιάδης 317; ἀλλότριον 599;

Sc. Ἀμφιτρύων 37, 44, 80, -τρύωνι 54, -τρύωνα 2; Ἀμφιτρυωνιάδης 165, 416, 433, 459; βότρυας 294 [2]; ἐτρύγων 292;

Op. ἀλλοτρίων 315, -τρίοις 34, -τρίους 395.

φρ. Th. Ἀφροδίτη 989, -της 975, 980, -την 16, 195, 822, 962, 1005, 1014; ἐπεφράσσατο 160 [3]; Sc. Ἀφροδίτης 8, 47;

Op. Ἀφροδίτης 521, -την 65; προπεφραδμένα 655 [4];

Fr. Ἀφροδίτη 117,1, -της 152,3, -την 36,3.

θρ. Th. Ὄθρυος 632.

E trecentis septuaginta septem exemplis videmus ante mutam, quam excipit liquida ρ, 342 producere, quorum in Th. exstant 134, in Sc. 71, in Op. 104, in Fr. 33; quum 35 inveniantur correptionis exempla, quorum exhibet Th. 13, Sc. 13, Op. 6, Fr. 3. Si quis credit id, quod Sc. pro numero exemplorum longe crebriora quam aut Th. aut Op. correptae syllabae exempla exhibet, tueri sententiam, qua posteriori aetati quam Th. aut Op. adscribendum sit, velim cautionem adhibeat. Observandum enim est, praeter ἀλλότριον Th. 599 — quae forma forsitan corripiat ad similitudinem formarum pluralis numeri: ἀλλοτρίων, al., quae necessitati metricae

---

[1] Rz. ἔθρεψ' secundam cod. Med. G.-Fl. (CXI) secundum alios:

ὃν Χείρων θρέψεν ἐνὶ Πηλίῳ ὑλήεντι.

Rzach alio loco *(Neue Beiträge zur Technik des nachhomerischen Hexameters. Wien, 1882.* pag. 114*)* iure, ut mihi videtur, probat emendationem, quam proposuit Spitzner, pag. 41, Χείρων et θρέψεν locos mutare iubens. ἔθρεψ', quod etiam Boeckhio in mentem venit, nescio an sit coniectura metri causa pro θρέψεν facta.

[2] Lennep, in hunc versum, commentarii pag. 82, auctor est Hermannum, in Orph. p. 757, statuisse βότρυας h. l. disyllabum esse.

[3] Hoc loco G.-Fl., in comparationem vocantes Od. IV, 529: δολίην ἐφράσσατο τέχνην, qui versus haud dubie poetae obversatus est, et Nonni Dionys. XXXVII, 351:

καὶ θρασὺς Ἀκταίων δολίην ἐφράσσατο βουλήν,

probante Schoemanno, coniecit legendum esse δολίην δὲ κακὴν ἐφράσσατο τέχνην. Rzach contra tuetur codicum lectionem, nisus exemplis, quae sunt Op. 655: τὰ δὲ προπεφραδμένα πολλά (vide n. seq.), et Od. XV, 444: ὑμῖν δ' ἐπιφράσσετ' ὄλεθρον. (At non afferri debent exempla, in quibus legitur Ἀφροδίτη, quum haec vox apertissima metrica necessitate corripiat). Minus facile ante φρ corripi vel inde concludere licet, quod, ut infra videbimus, nullum exstat correptionis exemplum ante has litteras in fronte vocum positas.

[4] Unus cod., Viteberg., exhibet προπεφασμένα.

obnoxiae sunt —, Ὄθρυς Th. 632, βότρυας Sc. 294 (vide pag. 61 n. 2; de ἐτρύγων Sc. 292 vide infra), omnia, quae nobis occurrunt quum in Th. et Op. tum in Sc. exempla, corripiendi facultate usa, metricam necessitatem sequi. Quum igitur poetae, quantum potuerunt, correptionem evitaverint, e frequentioribus paucioribusve huius generis exemplis prorsus nihil licet concludere. Nam e materia, quam tractabant, pendebat, utrum eius formae uterentur vocibus, quae nisi vocali correpta in metrum non quadrarent, necne. Apparet frequentiora, quae in Sc. exstant, correptionis exempla referenda esse ad id, quod de Amphitruone eiusque privigno agit carmen. Ἀμφιτρύων enim exstat quinquies, Ἀμφιτρυωνιάδης quater [1].

---

[1] Apud Homerum pauca exstant exempla correptionis, quae licuit evitare. E La Rochio, pag. 6, annotavi Il. XIV, 78: νὺξ ἀβρότη; quae correptio fortasse nititur illa frequentiore, quae fit ante verbum simplex βροτός (vide infra). ἀβρότη est ἅπαξ εἰρημένον apud Homerum. Scilicet forma inventa est, quae versus sedem occuparet, in quam non quadraret ἄμβροτος.

Aliud exemplum est ἀνδροτῆτα (ἀδροτῆτα, ἁδροτῆτα), quae vox exstat Il. XVI, 857, XXII, 363, in eadem verborum serie: (ψυχή) λιποῦσ' ἀ(ν)δροτῆτα καὶ ἥβην, et XXIV, 6:

Πατρόκλου ποθέων ἀ(ν)δροτῆτά τε καὶ μένος ἠΰ.

Sed quae sit vera lectio non satis constat. La Roche, Hom. Unters., pag. 7, docet ἀνδροτῆτα scribendum esse neque offendendum in brevi α ante tres consonas. (pag. 8: „Man lasse deshalb ἀνδροτῆτα, wie so manches andere, als Singularität im Homer stehen.") At W. Clemm, *Rhein. Museum XXXII*, pagg. 463—474, adstipulante Curtio, l. l. n:o 422, docet Il. XVI, 857, XXII, 363 legendum esse λιποῦσα δροτῆτα καὶ ἥβην, in comparationem vocans glossam Hesychianam δρώψ· ἄνθρωπος [*νερωψ, *νρωψ, δρώψ = *νερ-οτής (ἀ-νερ), *νροτής, δροτής]. Quod autem XXIV, 6 in versum non cadit haec forma, difficultatem ita summovet, ut afferat constare hoc carmen posterioris temporis esse et iam, ante quam scriberetur, vel potius ante quam intersererentur vv. 6—10, rhapsodorum mendo formam ἀνδροτῆτα illis locis δροτῆτα extrusisse et inde petitam esse. Sagaciter hoc excogitavit ille quidem, fugit autem eum versus quarta trochaica caesura foedatos ita effici. Quare vix ausim ei assentiri. Forsitan e similitudine, quam praebet vox ἀβρότη, legere liceat ἀδροτῆτα. Nam ut poeta, quum Od. XI, 330 νὺξ . . . ἄμβροτος scriberet, Il. XIV, 78, ubi haec forma non in metrum quadraret, ad aliam, correptionem quae pateretur, confugit, ita fortasse, quum forma ἀνδροτής metro adaptari non posset, breviore forma, ν eiciente, usus est. Formae ἄβροτος et ἀδροτής prorsus similes sunt: *ἀ-μροτος, ἀ-μ-β-ροτος, ἀ-β-ροτος; ἀνρο-, ἀν-δ-ρο-, ἀ-δ-ρο. De evanescenti nasali, consonae praemissa, vide G. Meyerum, Gr. Gramm. § 294; Clemmium l. l.

Duo loci difficillimi et mirandi exstant apud Homerum, qui, nulla accedente metrica necessitate, syllabas in -κρ exeuntes corripiunt,

Od. XVIII, 173: μηδ' οὕτω δακρύοισι πεφυρμένη ἀμφὶ πρόσωπα —
et XIX, 122: φῇ δὲ δακρυπλώειν βεβαρηότα με φρένας οἴνῳ.

Mirandos dico hos versus, quia in utroque est correptio, ab Homeri consuetudine alienissima,

E tabulis, pagg. 64, 65, uno tamquam conspectu videas, quomodo productiones correptionesque in singulas mutarum cum liquidis coniunctiones inque singula carmina Hesiodea distribuantur. De correptione nobis frequentius in Sc. quam in Th. aut Op. obvia, vide pag. 61.

Non ante quaslibet mutas correptionem aeque facile fieri cognitum est. Omnia, quae ante medias mutas exstant exempla, quorum numerus est centum quinquaginta sex, producunt; ante tenues mutas productiones nobis occurrunt trecentae sexaginta una, correptiones duodeviginti. Neque eadem est inter singulas tenues ratio. Nam π et κ singulas exhibentibus correptiones, illa vero septuaginta, hac centum quadraginta quinque productiones exhibente, ante τ, quae producit centies quadragies sexies, sedecim inveniuntur correptiones — quarum decem exstant in nomine, quod est Ἀμφιτρύων, quattuor exhibet vox, quae est ἀλλότριος (tres in obliquis pluralis numeri casibus) —. Pro numero exemplorum facilius etiam correptionem pati videntur aspiratae; ante quas productiones exstant centum quinquaginta quinque, correptiones undeviginti; quae praeter unam ante ϑ exstantem omnes positae sunt ante φ; quae aspirata consona, quum χ exhibeat triginta sex productionis exempla, ϑ triginta quattuor productionis, unum correptionis exemplum, octogies quinquies producit, duodevicies corripit; ex his correptionis exemplis sedecim sunt in nomine quod est Ἀφροδίτη.

---

in formis, quarum una apud Homerum, altera in litteris Graecis, semel dicta est. Vocis enim, quae est δάκρυον, formas δακρύων, δακρύοις (-οισι), ne corriperet ante κρ, ita evitavit, ut in gignendi casu scriberet δακρυόφιν, in dativo autem δάκρυσι, ex epica, ut dicimus, forma, δάκρυ. Quare mirum est, quod nostro loco correptione utitur in forma, quam alias summo studio evitavit. Quod Curtius, l. l. pag. 572, docet υ in semivocalem sonum abiisse — eum in finem, ni fallor, ut correptionem evitet —, non multum prodest. Vereor enim ut in humanae linguae facultatem cadat appellare consonam (vel semivocalem) post coniunctas litteras κρ. Non possum non admittere emendandi rationem, quae mihi, memori dandi casus formarum γένυσσι, νέκυσσι, πίτυσσι, paene invito se offert, scribendum esse δάκρυσσι. Quam scribendi rationem quodam modo firmant sex apud La Rochium codices, qui exarant δάκρυσι, septimus (H.) οι supra scripsit. Scilicet δάκρυσσι in formam solitam δάκρυσι abiit, deinde a librario, qui in correptione non offendit, cum δακρύοισι metri causa est mutata. (Hodie invenio apud Nauckium iam excusam esse formam δάκρυσσι.)

At videris mihi obtendere alteram correptionem δακρυπλώειν. Sed non potui mihi persuadere Homerum verbum, quod praeter hunc locum non agnoscunt litterae Graecae, ita finxisse, ut violaret legem tanto studio observatam. Versum, qualem nos habemus, esse Homericum non credo. Si quis totum versum eicit (Nauck), non dolebo. Cod. A. pr. m. omisit. At Aristoteles cognitum habuit, problem. XXX, 1.

Tabula productionum et correp

	Ante mutam	β					γ					δ					π				
	exstant in	Th.	Sc.	Op.	Fr.	S:a	Th.	Sc.	Op.	Fr.	S:a	Th.	Sc.	Op.	Fr.	S:a	Th.	Sc.	Op.	Fr.	S:a
product:es	excipiente liquida λ[1]	1	1	2	—	4	6	4	2	3	15	—	—	—	—	—	22	8	5	7	42
	„ „ μ	—	—	—	—	—	—	—	3	2	5	16	3	4	3	26	—	—	—	—	—
	„ „ ν	—	—	—	—	—	6	7	11	4	28	8	—	3	—	11	7	—	4	3	14
	„ „ ρ	14	2	11	1	28	11	4	7	—	22	4	4	5	4	17	8	2	2	2	14
	productionum s:a	15	3	13	1	32	23	15	23	9	70	28	7	12	7	54	37	10	11	12	7[illegible]
corept:es	excipiente liquida λ	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—
	„ „ μ	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—
	„ „ ν	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	1	1
	„ „ ρ	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—
	correptionum s:a	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	1	1
	Omnium ex:plor. s:a	15	3	13	1	32	23	15	23	9	70	28	7	12	7	54	37	10	11	13	71

Intercedit ea inter liquidas ratio, ut ρ ceteris facilius correptionem admittat. λ, quae centum quinquaginta sex, μ, quae quinquaginta tres exhibet productiones, nusquam correptionem admittunt, ν centum viginti unum productionis, duo correptionis exempla praebet [2], ρ autem trecenties quadragies bis producit, tricies quinquies corripit.

Docent rei metriae scriptores (R.W. II, 2, pag. 290; Alexanderson § 17) iunctas mutam et liquidam semper producere, si in voce composita sic collocatae sint, ut illa sit prioris membri finalis, haec posterioris membri initialis consona. Confer pag. 54, n. 1. Quum haec positio gravior firmiorque esse videatur quam earundem in simplici voce coniunctio, eius rei aversa quasi pars esset, si voces iunctae, quarum membrum prius in vocalem brevem exiret, posterius a iunctis muta et liquida inciperet, facilius quam simplices voces corriperent. Quod exempla Hesiodea non ostendunt. Tanta enim inest iunctis mutae et liquidae producendi vis, ut fere sine necessitate ne hae quidem voces corripiant [3].

---

[1] Hi numeri comprehendunt etiam exempla, de quibus dubitavi pag. 55.

[2] Paululum igitur errat Alexanderson, qui § 17, a, dicit apud Homerum *et Hesiodum* ν semper, antecedente muta, producere.

[3] Quamquam nullius fere momenti esse duco, afferam h. l., cuius modi vocales in hac positione imprimis nobis occurrant. Quae vocalis producatur corripiaturve, ea causa minimi momenti esse dico, quod satis habent consonae in se potestatis producendi, ut productionum

rius positionis genus exhibet.

	τ					φ					χ					ϑ					Ex:plor. numerus in				
S:a	Th.	Sc.	Op.	Fr.	S:a	Th.	Sc.	Op.	Fr.	S:a	Th.	Sc.	Op.	Fr.	S:a	Th.	Sc.	Op.	Fr.	S:a	Th.	Sc.	Op.	Fr.	omn.
61	4	4	8	1	17	—	1	1	—	2	—	1	1	1	3	6	5	1	—	12	64	47	27	18	156
6	5	—	1	—	6	—	—	—	—	—	1	3	—	—	4	1	—	1	4	6	25	6	12	10	53
30	4	1	1	—	6	2	1	4	1	8	10	1	5	—	16	1	3	1	3	8	49	24	35	13	121
48	47	18	37	15	117	30	21	19	5	75	2	2	8	1	13	4	3	—	1	8	134	71	104	33	342
45	60	23	47	16	146	32	23	24	6	85	13	7	14	2	36	12	11	3	8	34	272	148	178	74	672
—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—
—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—
1	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	1	1	2
—	2	11	3	—	16	10	2	3	3	18	—	—	—	—	—	1	—	—	—	1	13	13	6	3	35
1	2	11	3	—	16	10	2	3	3	18	—	—	—	—	—	1	—	—	—	1	13	13	4	4	37
46	62	34	50	16	162	42	25	27	9	103	13	7	14	2	36	13	11	3	8	35	285	161	185	78	709

II. Exempla, in quibus liquida excipit mutam in fronte vocum, vocali in vocis antecedentis fine posita.

a) exempla, in quibus liquida, quae est λ, excipit mutam.

βλ. Th. ἀπὸ βλεφάρων 910; Sc. δὲ βλοσυροῖο 147; ὑπὸ βλοσυροῖσι 175;
Fr. ἐπὶ βλεφάροις 5,4.

γλ. Th. τε Γλαύκη 244; ἔνι γλαφυρῷ 297; τε γλυκερήν 206; ἐπὶ γλώσσῃ 83;
Sc. δὲ γλαυκῶπις 455; ποσσί(ν) γλάφει 431; πέρι γλῶχες 398;
Op. ἀπὸ γλώσσης 322; Fr. διὰ Γλήχωνα 65,1.

πλ. Th. αἰπόλια πλατέ' 445; δέκα πλείους 636; δάμασε(ν) πληγῇσιν 857;

---

explicandarum causa non sit opus ad vocales confugere, et vidimus correptiones omnino circumscribi metricae necessitatis finibus. Si quidem veros numeros subduxi, augmentum verbi quod est ἐ, tricies quinquies producitur, corripitur bis, Th. 160, Sc. 292; de utroque loco dubitare licet; illius mentionem supra fecimus, pag. 61, n. 3; hoc loco, quum mox videamus finalem brevem vocalem longe facilius corripi ante iunctas mutam et liquidam, quam quae eiusdem, atque consonae, est vocis, cogitare forsitan liceat de alia legendi ratione: οἱ δὲ τρύγων; (dubitatur tamen, num liceat augmentum seducere; quod, augmento omisso, melior fit pedis caesura, non magni est momenti); reduplicatio perfecti temporis, quae utitur vocali ε, tricies producitur, corripitur semel, Op. 655; confer pag. 61, n. 4; (eandem duplicationem exhibet Πεφρηδώ, semel); praesentis temporis duplicatio, quae utitur vocali ι (γίγνεται, κικλήσκει κτλ.) duodecies producitur; ἀ privativum, quod dicimus, tricies quater productionem adeptum est.

Sc. κέατο, πλέονες 241; δὲ πλῆμναι 309;

Op. δὲ πλέον 559, κε(ν) πλεόνεσσι 379; οὐδὲ πλοῦτον 637, πλουτεῦντα· πλούτῳ 313.

κλ. Th. ἵνα κλείοιμι 32; τε Κλυμένη 351; ἠγάγετο Κλυμένην 508; τε Κλυτίη 352; τέκε(ν) κλυτὸς 956;

Sc. μεγάλα κλάζοντε 406; ῥα κλειτὰς 479; ἵνα κλέος 107; κορύσσουσα κλόνον 148; τεῦχε(ν) κλυτὸς 219 (Rz.; ceteri: τεῦξε), ἔργα κλυτοῦ 244, ἀπὸ κλυτά 67, 329, 447, οὔτε κλυτά 337;

Op. ἀοιδῇσι(ν) κλείουσαι 1; νέφεα κλονέοντος 553; πλάσσε(ν) κλυτὸς 70;

Fr. τέκετο κλειτὴ 73; τε Κλυτίος 135,3.

τλ. Fr. τέκετο Τλησήνορα 138.

φλ. Th. τε φλεγέθοντος 846; Sc. μόρφνοιο φλεγύαο 134.

χλ. Sc. δὲ χλοερῷ 393; δὲ χλωροῦ 231;

Op. ἀπὸ χλωροῦ 743; Fr. ἀπὸ χλωρῶν 240.

Haec omnia exempla producunt; quorum numerus est 49: in Th. exstant 14, in Sc. 20, quum Op. 9, Fr. 6 praebeant.

Semel Op. corripiunt, ante κλ, v. 726:

οὐ γάρ τοί γε κλύουσιν, ἀποπτύουσι δέ τ' ἀράς.

Homerus eas tantum huius verbi formas agnovit, quae in metrum quadrent, non correpta vocali ante κλ posita.

De alio loco Hesiodeo, Op. v. 690: ἀλλὰ πλέω λείπειν, κτλ., ita dubito, quemadmodum supra pag. 55 de voce, quae est Ἡρακλέης, dubitavi [1].

Duo correptionis exempla praebent Fr.,

14,2: Φαισύλη ἠδὲ Κορωνὶς ἐϋστέφανός τε Κλέεια —

et 117,5: ὡς δὲ Κλυταιμνήστρη κτλ.;

has correptiones metrica necessitate fieri apparet [2].

---

[1] In prima arsi ante iunctas mutam et liquidam productionis exempla sunt Th. 254: ῥεῖα πρηΰνει —, Op. 553: πυκνὰ Θρῃκίου —.

[2] Homerus interdum corripit ante iunctas consonas κλ, πλ. χλ. Omissis iis, quae metrica necessitate correptione utuntur (κτεῖνε Κλυταιμνήστρη Od. XI, 422, aliaque), pauca tantum exempla non dubia restant. Quorum ea, quae in caesura metrica posita sunt:

Il. IV, 329: αὐτὰρ ὁ πλησίον κτλ.
Od. XII. 215: τύπτετε κληίδεσσιν κτλ.
Od. XIV, 529: ἀμφὶ δὲ χλαῖναν κτλ.
Od. XX, 92: τῆς δ' ἄρα κλαιούσης κτλ.
Od. IV, 127: Αἰγυπτίης, ὅθι πλεῖστα κτλ.

Od. X, 234: ἐν δέ σφιν τυρόν τε καὶ ἄλφιτα καὶ μέλι χλωρόν —

(qui exitus idem nobis occurrit h. III, 560), ex hac caesura excusationem petere postmodum

b) Exempla, in quibus liquida, quae est μ, excipit mutam.
Pauca sunt. Nullum non producit.

δμ. Th. ἥ γε δμηθεῖσ' 1000; Πηλεΐ δὲ δμηθεῖσα 1006;
Sc. οὐδ' ὅ γ' ἐπὶ δμῶας 39; Op. δείκνυε δὲ δμώεσσι 502;
Fr. ἐνὶ δμώεσσιν 194,4.

Neque apud Homerum exstat ullum correptionis exemplum.

c) Exempla, in quibus liquida, quae est ν, excipit mutam.
His locis productio fit:

δν. Th. τε δνοφερῆς 107; γλώσσῃσι(ν) δνοφερῇσι 826;
Fr. τε δνοφερῆς 239.

κν. Sc. περὶ κνήμῃσιν 123; Fr. κατὰ κνύος 54,1.

θν. Th. ἰδυῖαν ἰδὲ θνητῶν 887; πῆμα θνητοῖσι 223; θαῦμα θνητοῖσι 500;
καί κεν ὅ γε θνητοῖσι 837; πῆμα μέγα θνητοῖσι 874;
Op. φοιτῶσι κακὰ θνητοῖσι 103;
Fr. φῦλα θνητῶν 156,4; ὅσα θνητοῖσιν 192,1.

---

demonstrabimus; quare plane ineptam puto La Rochii, pag. 14, in Od. XX, 92 emendationem, intra parenthesin propositam: τῆς δὲ κλαιούσης κτλ.

Correptionis exemplum, quod praebet Od. XVIII, 117:

ὣς ἄρ' ἔφαν. χαῖρεν δὲ κλεηδόνι δῖος Ὀδυσσεύς·

qui versus totus fere recurrit Od. XX, 120: ὣς ἄρ' ἔφη, χαῖρεν δὲ κληδόνι κτλ., etiam excusationem petere e loco, in quo sit positum, infra videbimus. Caesura enim tertia trochaica post δέ admodum firma est. Quod La Rochio videtur placere inducere formam, quae est κληδόνι (unde iota subscriptum?), ea emendatio non moda supervacanea est, sed prorsus vitiosa; ut emendationis nomine digna non sit. Tum enim ponitur δέ in arsi tertii pedis spondei. Quo in loco, ut supra pag. 16 ego de Hesiodo, ita Hoffmann, § 3, de Homero docuit hanc particulam nusquam poni.

Simili modo errat, pag. 15, in

Od. IV, 474: σὴν ἐς πατρίδ' ἵκοιο πλέων ἐπὶ οἴνοπα πόντον.
et Il. VII, 88: νηῒ πολυκλήϊδι πλέων ἐπὶ οἴνοπα πόντον·

quibus in versibus efferre vult πλέων monosyllabum. Sed violat legem, quae vetat hexametri tertium pedem spondeum exire in syllabam finalem. Mirum vero est, quod sciens peccat. Nam pag. 41, ubi verba facit de versu illo mendoso, Sc. 199: ἔγχος ἔχουσ' ἐν χερσὶ χρυσέην τε τρυφάλειαν, eum dicit exsecrandum esse („rythmisch abscheulich“).

Neque quod synizesi spondaicos reddit versus quosdam incisionem accipientes post quintum spondeum (Il. IX, 360, X, 252, Od. XII, 70), ei assentior. Eiusmodi versus tam suspectos esse, ut non liceat eorum numerum augere, emergit e pag. 38 supra.

Od. XVII, 221 dubium est, πολλῇσι φλιῇσι sit legendum an πολλῆς φλιῇσι. Codices vaccillant.

Th. unum correptionis exemplum praebet, v. 319:

ἡ δὲ Χίμαιραν ἔτικτε πνέουσαν ἀμαιμάκετον πῦρ —·

quem versum pag. 31 diximus et caesurarum similitudine et singulari correptione laborare. Neque licet eum emendare. Homerus eiusmodi correptionem non agnoscit.

d) Exempla, in quibus liquida, quae est ρ, excipit mutam.

α) Productionis exempla haec sunt:

βρ. Th. τε Βριάρεως 149, 714 [1]; ὑπὸ βροντῆς 458, ἅμα βροντῇ 691, δὲ βροντήν 504, Ζηνὶ βροντήν 141;

Sc. ἔναρα βροτόεντα 367; δὲ βροτολοιγόν 333, 425;

Op. δὲ βριάοντα 5; ἐκτελέα βρίθειν 466; διὰ βροτοί 3, τρίποδι βροτοί 533.

γρ. Fr. τέκε(ν) Γραῖκον 24,3.

δρ. Th. μέγα δρέπανον 162; περὶ δρῦν 35;

Sc. τε Δρύαλον 187; δὲ δρύες 376; Op. ἀνὰ δρία 530; δὲ δρῦς 232, 509.

πρ. Th. δὲ πρέπει 92; ῥεῖα πρηΰνει 254; τὸ πρίν 505; ἐσσόμενα πρό 32, 38; τε Προνόη 261; τε πρόπαν 596; αὖτε προσέειπε 546; ὅτι προσέκυρσε 198; κλέεα προτέρων 100, μετὰ προτέροισι 424; δὲ προφερεστάτη 79; τε Προμνώ 350; τε Πρωτώ 248; ἄρα πρώτη 397, ὅ τι πρῶτον 115, τὸ πρῶτον 188, 425 [2], τὰ πρῶτα 108, 113, 202, ἐνὶ πρώτοισι 713, με πρώτιστα 24;

Sc. δὲ πραθέεν 240; κόνε πρό 303; τε Πρόλοχον 180; αὖτε προσέειπεν 102; δὲ πρῶτον 252; τὸ πρῶτον 127;

Op. τὸ πρίν 90; Αἰολίδα προλιπών 636; δὲ προπεφραδμένα 655; ἄλαδε προρεόντων 757; κακὰ προσελέξατο 499; τε προφυγεῖν 647; τὸ πρῶτον 291, 487, 659, 679, τὰ πρῶτ(α) 387, 467, δὲ πρώτιστ' 458;

---

[1] Dubitare licet. utrum Βριάρεως an Ὀβριάρεως sit vera lectio. Facillime enim his locis omiserunt librarii ὀ μικρόν, quum etiam vv. 617 et 734, ubi metrum, ne claudicet, clara voce poscit formam ὀ μικρόν anteponentem, sint libri, qui Βριάρεως exhibeant. Scilicet crediderunt librarii illud ὀ μικρόν esse articulum, quod apparet e scribendi ratione, quae est τῷ Βριάρεῳ v. 617 (C; M: Ὀβριάρεῳ; V: Ὀβριάρεῳ) et ex alia, quae est ὁ βριάρεως, v. 734, quam exhibent librorum maior pars. Quum vero v. 817 metrum non accipiat formam ὀ μικρόν anteponentem, neque vv. 149 et 714 ullum vestigium prodat scripturam ὀ μικρῷ usam, vix emendatione hanc formam scribendam esse censeo. Meyer, Gr. Gramm. § 100, inter exempla vocali prothetica usa non enumerat hoc nomen proprium.

[2] Ni fallor, etiam Th. 126 legendum est τὸ πρῶτον, non τοι πρῶτον, quod exhibent libri et editores.

Fr. ἀκαλὰ προρέων 242.

κρ. Th. ῥυσόμεθα κράτος 662; μέγα κρατεῖ 403; δῆσε(ν) κρατερῷ 618, τε κρατερόν 312, 1013, τε κρατερήν 320, τε κρατεροί 670, τε κρατεράων 683, ἀνὰ κρατεράς 663, διὰ κρατεράς 631, 712, τε κρατεράς 185; Ἄτλαντα κρατερόφρονα 509, τέκετο κρατερόφρονα 308; κατὰ κρῆθεν 574; περὶ κρήνην 3; τε Κρῖον 134; τε κροκόπεπλος 358, τε κροκόπεπλον 273; ὑπερμενέϊ Κρονίωνι 534; γένετο Κρόνος 137, ὑπὸ Κρόνου 395, ἰδὲ Κρόνον 19, πατέρα Κρόνον 73; γένεο κρυεροῖο 657 [1];

Sc. τε κρατερόν 52; ἀπὸ κρῆθεν 7; Διὶ Κρονίωνι 56, κελαινεφέϊ Κρονίωνι 53; ἐπὶ κροτάφοις 137, περὶ κροτάφοισι 226;

Op. Διὶ Κρονίωνι 69; ἐπὶ Κρόνου 111; τοῖσι(ν) Κρόνος 169; ὁπότε κρύος 494; Fr. ποτὲ Κρονίδης 141,2.

τρ. Th. πολλὰ τρέφει 582; ἔτεκε(ν) τρικέφαλον 287; τὸ τρίτον 313; ἐνὶ τριπόλῳ 971;

Sc. τε τρυφάλειαν 199 (secundum libros; vide supra pag. 35 sqq.);

Op. δὲ τρέπεται 416; μετὰ τροπάς 564, 663.

φρ. Th. πλῆντο φρένες 688, ἐνὶ φρεσί 239, 549, μέγα φρεσί 173, μετὰ φρεσίν 488, δὲ φρένας 554; τὰ φρονέων 461; ἀταλὰ φρονέοντα 989;

Sc. μεγὰ φράσσασθ' 218; δὲ φρεσί 96, ἐνὶ φρεσί 434, μετὰ φρεσίν 28, δέ φρένας 255; ὁμὰ φρονέοντε 50;

Op. σε φράζεσθαι 367; ἐνὶ φρεσί 107, 531, μετὰ φρεσί(ν) 274, 688; δὲ φρίσσουσ' 512; Fr. ἴσα φρεσί 189,2, μετὰ φρεσί 182,1.

χρ. Th. τέρενα χρόα 5; διὰ χρυσέην 822, 962, 1005, 1014; τε χρυσοστέφανον 17, 136;

Sc. ὀξεῖα χρέμισαν 348; περὶ χροΐ 183, τε χρόα 397;

Op. δὲ χρέα 647; ἐπὶ χρόνον 133, 326, 754; ἔρυμα χροός 536, καλυψαμένα χρόα 198, τέρενα χρόα 522; Ἀπόλλωνα χρυσάορα 771;

Fr. Ἀπόλλωνα χρυσάορον 244,3; διὰ χρυσέην 36,3.

θρ. Op. ἀπὸ θρεπτήρια 188; διὰ Θρήκης 507; πυκνὰ Θρηικίου 553.

β) Haec sunt correptionis exempla:

---

[1] Th. 625, 634 cum Rzachio lego Ῥείη Κρόνου (-ῳ), non Ῥεῖα.

βρ. Th. παῖδα βροτῶν 981, αἵ τε βροτοῖσι 218, θνητοῖσι βροτοῖσι 223, 500, καταθνητοῖσι βροτοῖσι 903; πῆμα βροτοῖσιν 329 [1];
Sc. τόνδε βροτόν 106; Ἰόλαε, βροτῶν 78;
Op. κακότητι βρότοί 93, δὲ βροτῶν 760, ἠδὲ βροτοῖς 310, ἥδε βροτοῖσι 24, δειλοῖσι βροτοῖσι 686, τε βροτούς 487; ἀεξομένοιο βροτήσια 773;
Fr. τὰς δὲ βροτοὶ καλέουσι 9.

δρ. Th. δὲ δράκων 323, δεινοῖο δράκοντος 825, κρατεροῖο δράκοντος 322;
Sc. δὲ δράκοντος 144, ζώνῃσι δράκοντε 233, δεινοῖσι δράκουσι 166; ἄνακτα Δρύαντα 179;
Fr. ἐπὶ δράγματι 274; εἰσι δράκων 65,2; αἱμορράντοισι δρόσοισιν 199,2.

πρ. Th. προσέειπε Προμηθεύς 546, ἀκάκητα Προμηθεύς 614, ἠδὲ Προμηθέα 510, ἀλυκτοπέδῃσι Προμηθέα 521; ἀργυρέοισι πρὸς οὐρανόν 779; μύθοισι προσηύδα 169;

---

[1] Ita G.-Fl. e coniectura Scheerii, quam valde probo; Rz. cum libris πῆμ' ἀνθρώποις. Coniectura Scheerii nititur etiam Od. XII, 125, h. h. II, 128, qui in πῆμα βροτοῖσιν exeunt. Neque nostro loco incredibile est versum sequentem, cuius clausula est φῦλ' ἀνθρώπων, satis valuisse ad depellendum loco prioris versus exitum βροτοῖσιν, alterum versui obtrudendum. Praeterea observandum est poetam, ut evitet versus spondiacos, solere in dandi casu ponere formam βροτοῖσι(ν) pro ἀνθρώποις, iis scilicet locis, ubi antecedit vocalis finalis, quae, si scripta esset vox ἀνθρώποις, elisione summoveretur; vide Th. 218, 223, 500, 903, Op. 24, 686. Inde factum est, ut, — exceptis tribus locis, Th. 329, in quo nunc versamur,

Op. 558: χειμέριος, χαλεπὸς προβάτοις, χαλεπὸς δ' ἀνθρώποις,
et Fr. 216,2: ἀθανάτοισι θεοῖσι καταθνητοῖς τ' ἀνθρώποις,

quorum duorum versuum ille forsitan retinere debeat codicum scripturam, quum oppositio, quae est inter πρόβατα et ἀνθρώπους, videatur poscere, ut adhibeatur vera et genuina hominum notio, non ea, quae, ut βροτοί, tamquam deducta est; in hoc autem non incredibile duco veram legendi rationem esse: καταθνητοῖς τε βροτοῖσι(ν) — forma, quae est ἀνθρώποις, non in versus fine ponatur. Th. 296, 564, Op. 472, 569, ut etiam Fr. 156,7, CLXXII, 3 apud G.-Fl. (quod non exstat apud Rzachium) in interiore versus parte ponitur. Forma autem, quae est ἀνθρώποισι(ν), quae exstat vicies, versus clausulam efficit Th. 93, 570, 589, 763, Op. 42, 678, 811, Fr. 4,1, neque potest compensari forma, quae est βροτοῖσι(ν). At formae ἄνθρωποι, ἀνθρώπων, ἀνθρώπους, quarum metrica figura eadem est atque ἀνθρώποις, neque possunt compensari formis βροτοί, βροτῶν, βροτούς, longe alio modo adamant versus clausulam. ἄνθρωποι enim quater in versus fine ponitur, Th. 272, 535, 586, Op. 108, semel in alia versus sede, Op. 685; ἀνθρώπων versum claudit vicies bis, Th. 100, 121, 302, 330, 416, 556, 879, 887, Sc. 162, Op. 90, 109, 123, 143, 180, 253, 418, Fr. 14,4, 58,1, 128,2, 156,4, 197,1, CLXXII, 5, (G.-Fl.) aliam versus partem occupat quater: Th. 50, 766, Op. 260, 324: ἀνθρώπους finem versus occupat ter: Th. 231, 588, Op. 199, bis in alio loco ponitur: Op. 100, 581.

Sc. πτερόεντα προσηύδα 117, 326, 445; ἐν δὲ προΐωξις 154; βλοσυροῖο προσώπου 147;

Op. ἐξαπάτησε Προμηθεύς 48, ἔειπε Προμηθεύς 86; οὐδὲ πρὸς ἄλλους 477, δὲ πρὸς ὄλβῳ 319, ἢ ὅ γε πρὸς τοῖχον 732; προσιόντι προσεῖναι 353; τρέψαντα πρόσωπον 594;

Fr. τότε πρῶτον 244,1 [1].

κρ. Th. ὑποδμηθεῖσα Κρόνῳ 453, ἀμφὶ Κρόνῳ 476; θῆκε Κρονίων 949;

Op. ὑλοφάγοιο κρέας 591; μηδ' ἐπὶ κρηνάων 758; πῆμα Κρονίων 242, διέταξε Κρονίων 276; Fr. δῶκε Κρονίων 92.

τρ. Th. οἵ ῥα τριηκοσίας 715; Sc. ὑπὸ τρυγητήρων 293;

Op. ἔργοιο τρίτην 578; δμώεσσι· τριηκάδα 766, μήτε τριηκόντων 696; δὲ τρίπηχυν 423; ἴσασι τρισεινάδα 814; ἠελίοιο τροπῆς 479;

Fr. πάντες δὲ τριχάϊκες 8,1 [2].

χρ. Th. ἔκθορε Χρυσάωρ 281; Op. ἀπὸ χρήμαθ' 605; δέ τε χρώς 588.

De Sc. v. 199: χειρὶ χρύσείην vide pag. 35 sqq.

θρ. Sc. τε θρασείας 263.

Ducenties undevicies igitur carmina Hesiodea brevem vocalem in fine vocis antecedentis ponunt, sequente voce a muta, quam excipit liquida ρ, incipiente. 153 productionis exempla inveniuntur: in Th. 75, in Sc. 27, in Op. 44, in Fr. 7. Correptionis exempla sunt 66; quorum Th. praebet 20, Sc. 13, Op. 26, Fr. 7. Ex his vero locis 45 metrica necessitate corripiunt, quum formae, a brevi syllaba incipientes (βροτῶν, Προμηθεύς, al.) alio modo non in metrum quadrent. Quorum Th. exhibet 15, Sc. 11, Op. 16, Fr. 3. E ceteris locis mihi videntur hi, qui sequuntur, excusationem petere e caesura, quam excipit vox incipiens a iunctis muta et liquida; de qua caesurae vi uberius infra. Caesuram post primum pedem excipiunt voces ab his litteris incipientes:

Th. 281: ἔκθορε Χρυσάωρ —· Op. 732: ἢ ὅ γε πρὸς τοῖχον —·
758: μηδ' ἐπὶ κρηνάων —·

---

[1] Haud dubie scribendum est: Ἐν Δήλῳ τὸ πρῶτον, non τότε πρῶτον. τὸ πρῶτον exstare aliquotiens iam vidimus. Accedit, quod alter locus Hesiodeus non exstat, qui brevem servat vocalem finalem ante vocém (in consonam exeuntem), cuius figura est — ⏑. Nam hoc nomine non afferenda est forma χρήμαθ' Op. 605, quae elisione amisit ultimam syllabam.

[2] Fr. 8,2 libri exhibent: οὕνεκα τρισσήν. Goettlingius transposuit: τρισσὴν οὕνεκα. De hoc versu uberius infra.

caesuram post secundum pedem Op. 588: αὐαλέος δέ τε χρώς —. Fr. 244,1: Ἐν Δήλῳ τότε πρῶτον (Confer pag. 71, n. 1); bucolicam caesuram hae voces excipiunt:

Sc. 293: οἱ δ' αὖτ' ἐς ταλάρους ἐφόρευν· ὑπὸ τρυγητήρων —

Op. 605: μή ποτέ σ' ἡμερόκοιτος ἀνὴρ ἀπὸ χρήμαθ' ἕληται·

fortasse etiam Fr. 274: Χαλεπὸς δ' ἐπὶ δράγματι λιμός.

Restant quattuordecim, quorum quattuor praebent nomen, quod est Κρονίων: Th. 949, Op. 242, 276, Fr. 92, Ubique claudit versum [1]. Ter ante πρός corripitur,

Th. 779: κίοσιν ἀργυρέοισι πρὸς οὐρανὸν ἐστήρικται.

quo in versu observandum est correptionem in caesura principali esse positam;

Op. 319: αἰδώς τοι πρὸς ἀνολβίῃ, θάρσος δὲ πρὸς ὄλβῳ —

477: εὐοχθέων δ' ἵξεαι πολιὸν ἔαρ, οὐδὲ πρὸς ἄλλους —

in his versibus vix casu factum esse ut correptio fiat in quinta trochaica caesura postmodum demonstrare conabimur [2].

E ceteris, qui correptione utuntur, locis duo exstant in Th. 453: Ῥεῖα δ' ὑποδμηθεῖσα Κρόνῳ κτλ. et 476: ἀμφὶ Κρόνῳ βασιλῆι κτλ.; qui iure miri dicuntur, quum ex undeviginti locis, qui hoc nomen exhibent, soli hi iambica utantur forma, ceteris pyrrichia forma usis [3]. Sc. unum exemplum exhibet, 106: οἷον δὴ καὶ τόνδε βροτόν κτλ.; in Op. duo invenimus, 93: αἶψα γὰρ ἐν κακότητι βροτοί κτλ., 591: καὶ βοὸς ὑλοφάγοιο κρέας κτλ.;

[1] Hos versus non addidi iis, qui metrica necessitate corripiunt, quia -ι- in casibus obliquis semper est brevis apud Hesiodum: Κρονίωνος Th. 4, Κρονίωνι Th. 534, Sc. 53, 56, Op. 69, 259, ut semper etiam in patronymico Κρονίδης, quod exstat decies quater. Κρονίονος nobis occurrit bis apud Homerum: Il. XIV, 247, Od. XI, 620. Apud Pindarum Κρονίων, quam formam non agnovit Homerus neque Hesiodus, exstat Pyth. III, 57, IV, 23, Nem. I, 16, IX, 28, X, 76, Κρονίων bis invenitur (Rumpel, Lexicon Pindaricum).

[1] Neque cogitare licet de forma, quae est ποτ', i. e. ποτί pro ea, quam libri exhibent, quum et iam apud Homerum exstent ante praepositionem πρός correptiones: τοιαῦτα πρὸς ἀλλήλους, al., neque ποτί apud Homerum aut Hesiodum elisione amittat vocalem finalem. Exstat haec praepositionis forma ter apud Hesiodum: Sc. 80 (in versus clausula, ne spondiacus fiat): εὐστέφανον ποτὶ Θήβην—· Op. 552: ἄλλοτε μέν θ' ὕει ποτὶ ἕσπερον, 695: Ὡραῖος δὲ γυναῖκα τεὸν ποτὶ οἶκον ἄγεσθαι. Nullum ex hac forma iunctum verbum invenitur in carminibus Hesiodeis.

[3] Κρόνος legitur Th. 137, 168, 459, 473, 495, Op. 169; Κρόνου Th. 395, 625, 630, 648, 660, 668, Op. 111; Κρόνῳ praeter locos, de quibus in contextu disputatur, Th. 634; Κρόνον Th. 19, 73, 851. Praeter Th. 453, 476, 660, Op. 111 ubique excipitur caesura bucolica. Th. 660, Op. 111 secundi dactyli arsin efficit.

e fragmentis accedit unum, 9: Τὰς δὲ βροτοὶ καλέουσι Πελειάδας [1]. Apparet ex his exemplis quattuor correptionem collocare in tertia trochaica caesura, duo, Th. 476 et Fr. 9, in prima [2]; quod praeterea attinet ad ea exempla, quae ante βροτόν etc., metro non cogente, corripiunt, id eo facilius faciunt, quo frequentiores sunt formae eius vocis, quae alio modo in metro non quadrant [3].

Si in comparationem vocamus alterum positionis genus, apparet illo hoc longe facilius corripere. Illo enim sexcentas septuaginta duas productiones exhibente, triginta septem correptiones, i. e. duodevicesimo quoque loco corripiente, hoc positionis genus ducentas viginti unam productiones, septuaginta correptiones praebet, i. e. e quaternis locis singuli corripiunt. At in ea re consentiunt, quod liquida, quae est ρ, sola fere correptionem patitur.

Prius positionis genus fere non agnoscere correptionem nisi ante iunctas τρ et φρ supra vidimus. Ex ea re, quod, duabus litterarum coniunctionibus exceptis, ante quamlibet mutam initialem cum ρ iunctam correptio nobis occurrit (ante χρ tres tantum, ante θρ una), apparet finalem vocalem facilius corripi quam quae eiusdem vocis est atque consonae subsequentes. Duae quae excipiuntur litterarum coniunctiones sunt γρ et φρ. Illa neque apud Homerum neque apud Hesiodum ullum praebet correptionis exemplum [4], haec autem quum apud utrumque poetam in priore positionis genere correptiones exhibeat (Ἀφροδίτη et φράζειν in iunctis verbis [5]), mirum fortasse videtur, quod in hoc correptionem non agnoscit.

---

[1] Octies βροτός vox dactyli arsin efficit, et quartam quidem βροτός Op. 15, βροτῷ Sc. 55, Op. 214, βροτόν Th. 369, secundam βροτοί Op. 3, Fr. 211,2, tertiam Fr. III, 3 (e coniectura apud G.-Fl.), quintam Op. 533.

[2] Fr. 9 efficere eam versus partem, quae caesurae bucolicae praemittitur, emergit tum ex ea re, quod ita optimis incisionibus, tert. trochaica et bucolica, utitur, tum inde, quod alio modo non licet evitare insolitam illam quartam trochaicam caesuram.

[3] H. l. subiungere licet La Rochium, pag. 41, aperte errare, suadentem Od. VIII, 353:

εἴ κεν Ἄρης οἴχοιτο χρέος καὶ δεσμὸν ἀλύξας·

χρέως cum libris quibusdam scribendum esse et monosyllabum appellandum. Confer pag. 78 supra.

[4] Conferas velim Alexandersonium, § 17, a.

[5] Hartel I, pag. 425, docet *duas voces* exhibere correptionem ante φρ, non, ut e verbis eius forsitan concludere liceat (Heimer, pag. 110), *duo* tantum huius correptionis *exempla* exstare. Ἀφροδίτη enim multis locis exstat.

Tabula productionum et correpti

	Ante mutam	β					γ					δ					π				
	exstant in	Th.	Sc.	Op.	Fr.	S:a	Th.	Sc.	Op.	Fr.	S:a	Th.	Sc.	Op.	Fr.	S:a	Th.	Sc.	Op.	Fr.	S:a
product:es	excipiente liquida λ	1	2	—	1	4	4	3	1	1	9	—	—	—	—	—	3	2	5	—	10
	„ „ μ	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	2	1	1	1	5	—	—	—	—	—
	„ „ ν	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	2	—	—	1	3	—	—	—	—	—
	„ „ ρ	6	3	4	—	13	—	—	—	1	1	2	2	3	—	7	23	6	13	1	43
	productionum s:a	7	5	4	1	17	4	3	1	2	10	6	3	4	2	15	26	8	18	1	53
corept:es	excipiente liquida λ	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—
	„ „ μ	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—
	„ „ ν	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	1	—	—	—	1
	„ „ ρ	6	2	7	1	16	—	—	—	—	—	3	4	—	3	10	6	5	7	1	19
	correptionum s:a	6	2	7	1	16	—	—	—	—	—	3	4	—	3	10	7	5	7	1	20
	Omnium ex:plor. s:a	13	7	11	2	33	4	3	1	2	10	9	7	4	5	25	33	13	25	2	73

Sed memoria tenendum est 'Αφροδίτη, metro cogente, corripere, ut etiam ἐπιφράσσετ' Od. XV, 444, de duobus vero Hesiodeis exemplis, Th. 160, Op. 655, dubitari; vide supra pag. 61, n. 3, 4; quare haec correptionis exempla non refellunt id, quod docet Hartel, I, pag. 425, aspiratas mutas gemina quadam natura usas esse, ut facilius producerent. Praetera *videntur* mediae facilius corripere quam tenues aut aspiratae, si quidem de ea re concludere licet e ratione, quae intercedit inter productionum correptionumque numeros. Ante medias enim inveniuntur quadraginta duae productiones, viginti sex correptiones (i. e. pro exemplorum numero e centenis 38,2); tenues autem exhibent centum et viginti productiones, quadraginta correptiones (25,0), aspiratae undesexaginta productiones, quattuor correptiones (6,3). Sed eius rei causa posita esse videtur in ipsis formis vocum, quae in brevi syllaba ponunt initiales mutam et liquidam. Nam e viginti sex correptionis exemplis, quae nobis occurrunt ante medias, non minus quam viginti duo metrica necessitate corripiunt (βροτῶν etc. decies ter, δράκων etc. septies, δρόσοισιν, Δρύαντα singulis locis), neque e quadraginta, quae ante tenues exstant, plura e forma sua excusationem petunt (Προμηθεύς etc. sexies, προσηύδα quater, πρόσωπον bis, προΐωξις, προσεῖναι singulis locis, a syllaba τρι- incipientes voces septies, τροπῆς semel); e quattuor, quae ante aspiratas corripiunt, solum θρασείας metrica neces-

lterum positionis genus exhibet.

	τ					φ					χ					ϑ					Ex:plor. s:a est in				
S:a	Th.	Sc.	Op.	Fr.	S:a	Th.	Sc.	Op.	Fr.	S:a	Th.	Sc.	Op.	Fr.	S:a	Th.	Sc.	Op.	Fr.	S:a	Th.	Sc.	Op.	Fr.	omn.
20	—	—	—	1	1	1	1	—	—	2	—	2	1	1	4	—	—	—	—	—	14	20	10	6	50
—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	2	1	1	1	5
2	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	5	—	1	2	8	7	1	1	4	13
36	4	1	3	—	8	8	6	6	2	22	7	3	8	2	20	—	—	3	—	3	75	27	44	7	153
58	4	1	3	1	9	9	7	6	2	24	7	5	9	3	24	5	—	4	2	11	98	49	56	18	221
3	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	1	2	3
—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—
—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	1	—	—	—	1
8	1	1	6	1	9	—	—	—	—	—	1	—	2	—	3	—	1	—	—	1	20	13	26	7	66
11	1	1	6	1	9	—	—	—	—	—	1	—	2	—	3	—	1	—	—	1	21	13	27	9	70
69	5	2	9	2	18	9	7	6	2	24	8	5	11	3	27	5	1	4	2	12	119	62	83	27	291

sitate tenetur. Unde apparet usum Hesiodeum reapse non refutare id, quod docent rei metricae scriptores, medias mutas cum liquidis iunctas difficilius corripere quam tenues aut aspiratas. Alexanderson, § 17; Schmidt, pag. 64.

Hic sequitur conspectus vocalium, quas excipiunt iunctae muta et liquida in altero positionis genere.

	α					ε					ι					ο					υ				
in	Th.	Sc.	Op.	Fr.	S:a	Th.	Sc.	Op.	Fr.	S:a	Th.	Sc.	Op.	Fr.	S:a	Th.	Sc.	Op.	Fr.	S:a	Th.	Sc.	Op.	Fr.	S:a
roduct:ne	35	10	21	9	75	39	21	17	4	81	12	10	10	2	34	12	8	8	3	31	—	—	—	—	—
orrept:ne	5	4	2	—	11	7	5	14	6	32	7	2	6	3	18	2	2	5	—	9	—	—	—	—	—
r. summa	40	14	23	9	86	46	26	31	10	113	19	12	16	5	52	14	10	13	3	40	—	—	—	—	—

Magna est adhibenda cautio, ne quis temere quid ex his numeris statuat. Credibilius haud dubie est Graecos scriptores in hoc quam in illo genere (vide supra pag. 64, n. 3) sensisse aliam vocalem facilius, difficilius aliam in correptione ante iunctas mutam et liquidam poni. Nam in hoc positionis genere magis diducitur vocalis a consonis excipientibus, ut facilius observetur, maiore an minore ad eam appellandam opus sit temporis spatio. Num autem numeri supra scripti ostendant, quae vocalis facilius,

quae minus facile correptionem patiatur ita, ut ι facillime, α difficillime, ε non multo difficilius quam ι, ο μικρόν autem, ut difficilius quam ι et ε, ita facilius quam α corripiatur, valde est dubium. Nam quod ι in quinquaginta duobus exemplis duodevicies (= 34,6) in correptione est, quum α ex octoginta sex exemplis undecim (= 12,8) in correptis syllabis exhibeat, id maximam partem pendet ex ea re, quod poeta ad arbitrium suum, vel potius, prout postulat metrum, adhibet dandi casum plur. num. exeuntem tum in -οις, -ῃς, tum in -οισι, -ῃσι [1]. Praetera apud Pindarum contrario modo res se habet; nam ι productioni, ο μικρόν correptioni maxime favere docet Heimer, pag. 107.

Qui attento animo perscrutabitur carmina Hesiodea, inveniet ante iunctas mutam et liquidam longe saepius exstare productiones in thesi quam in arsi. Hartel idem de Homero statuit I, pag. 412, exemplis apud La Rochium collectis nisus; Heïmer idem observavit in Pindaro pagg. 108, 109. Id alia ex parte necessario fieri apparet ex ea re, quod longe θέσεων numerus superat ἄρσεων numerum: quum carmina Hesiodea exhibeant 13,980 theses (Th. 6,132, Sc. 2,880, Op. 4,968; Fr. rationem hic non habeo), in quibus producta vocalis poni potest, exhibent tantum 3,101 arses (Th. 1300, Sc. 613, Op. 1188) — sexta enim arsis talem syllabam non accipit —. Alia autem ex parte fieri videtur e quadam thesis vi producendae syllabae; quod inde elucet, quod etiam pro numeris θέσεων et ἄρσεων saepius in thesi quam in arsi collocata est producta syllaba. Prius enim positionis genus exhibet 591 in thesi posita exempla productae syllabae, 81, quae arsin occupant, vel — seductis Fragmentorum exemplis 74, quorum 9 in arsi — 526 in thesi, 72 in arsi. Octavum igitur fere quodque exemplum in arsi ponitur, quum ea inter ἄρσεων et θέσεων numeros intercedat ratio, ut vix sexta quaeque syllaba longa (ex undenis binae) in eius modi arsi posita sit, quae accipere possit vocalem productam ante mutam, quam excipit liquida. Inter singula carmina ea intercedit ratio, ut pro exemplorum multitudine duplo fere saepius Op. in arsi collocent productionem quam Th., Sc. medium quoddam teneat. Th. enim e

[1] E duodeviginti exemplis correptae vocalis ι decem nobis occurrunt in longiore dandi casus exitu; e triginta quattuor autem exemplis productae syllabae hunc exitum quattuor tantum praebent.

ducentis septuaginta duobus exemplis productionis in arsi ponit 24, i. e. ex undenis exemplis singula, Sc. e 148 in arsi collocat 18, i. e. octavum quodque, Op. e 178 in arsi collocant 30, i. e. sextum fere quodque. Fr. e 74 exemplis in arsi ponere 9 iam docuimus.

Quod hoc nomine inter se differunt carmina, id non seiungendum est ab alia eorum dissimilitudine, dico eam, quod Op. magis quam Th. aut Sc. adamant spondeos. Vide supra pag. 5. Scilicet Th. et Sc. e senis fere longis versuum sedibus, quae syllabam positione productam accipere possunt, singulas arses exhibent (utrumque carmen e centenis syllabis productis 17,5 in arsi collocant), Op. autem quintam quamque syllabam productam in arsi ponunt (19,3).

Ex his, quae sequuntur, tabellis elucet, quibus in arsibus imprimis collocentur productiones. Exstant

n arsi[1]	I					II					III					IV					V					Productionum summa est in				
in	Th.	Sc.	Op.	Fr.	S:a	Th.	Sc.	Op.	Fr.	S:a	Th.	Sc.	Op.	Fr.	S:a	Th.	Sc.	Op.	Fr.	S:a	Th.	Sc.	Op.	Fr.	S:a	Th.	Sc.	Op.	Fr.	S:a
oduct:s	4	3	1	2	10	13	10	11	4	38	2	3	8	1	14	4	—	9	2	15	1	2	1	—	4	24	18	30	9	81

Supra, pag. 6, ostendimus spondeum non aeque omnes pedes amare. Quare, quum productio arsin occupet eorum tantum pedum, qui spondaici sunt, apparet non eandem rationem intercedere debere inter numeros indicantes, quot unaquaeque arsis accipiat productiones. Sed magis differunt inter se quam ut sufficiat haec explicandi ratio. Invenimus enim, ratione non habita Fragmentorum, huius generis productionem

[1] Subiungitur index versuum, qui in arsi ponunt productiones:

1) in prima arsi: Th. 318, 527, 756, 974; Sc. 264, 448, 465; Op. 238; Fr. 159,2, 194,2.

2) in secunda arsi: Th. 139, 165, 171, 419, 442, 464, 496, 770, 778, 786, 792, 795, 929; Sc. 54, 61, 141, 185, 215, 266, 331, 389, 413, 458; Op. 47, 116, 134, 138, 289, 290, 350, 383, 560, 667, 770; Fr. 25,2, 40,2, 141,1, 190,2.

3) in tertia arsi: Th. 30, 715; Sc. 322, 370, 437; Op. 116, 229, 239, 317, 442, 500, 727, 790; Fr. 98,1.

4) in quarta arsi: Th. 410, 475, 709, 875; Op. 45, 154, 162, 297, 376, 478, 629, 634, 731; Fr. 8,2, 188,3.

5) in quinta arsi: Th. 254; Sc. 13, 190; Op. 442.

in I:o	pede	occupare	CXIII:am	fere	quamque	arsin	spondaicam
„ II:o	„	„	XXIX:am	„	„	„	„
„ III:o	„	„	XXXII:am	„	„	„	„
„ IV:o	„	„	L:am	„	„	„	„
„ V:o	„	„	XXXVIII:am	„	„	„	„

Ut quintum spondeum omittamus, qui pes suas fere leges sequitur, observare licet primum et quartum spondeos, qui ceteris saepius in diaeresin exeunt, eosdem rarius accipere productionem huius generis, secundum et tertium autem, qui magis operam dant, ut diaeresin evitent, frequentius productioni locum parare. Quod consentaneum esse apparet.

Sed ut eruatur, num re vera productiones potius sibi eligant thesin quam arsin, haec non satisfaciunt; apparet non quamvis vocem posse in arsi collocare syllabam productam; neque desunt, quae, nisi in arsi ponitur haec syllaba, in metrum non cadant. Semovenda igitur sunt ea productionis exempla omnia, quae metrica necessitate in alterutra harum sedium productioni locum parant, ut ea sola restent, quae ad arbitrium aut in thesi aut in arsi collocant productionem. Metrica necessitate in thesi collocatur syllaba producenda trecenties quinquagies sexies: in Th. centies duodequinquagies, in Sc. septuagies bis, in Op. nonagies semel, in Fr. quadragies quinquies. Plus igitur dimidia pars exemplorum, metro iubente, thesin occupant. Sed quae, nisi in arsi posita syllaba producenda, metrum respuit, admodum sunt pauca; quorum secunda arsis accipit unum: Ἀτλαγενέων Op. 383; tertia septem: δεδμημένοι, Op. 116, τεκμαίρεται 229, 239, κεχρημένον 317, 500, τετράτρυφον 442, τετραμμένος 727; quarta sex: διασκιδνᾶσι Th. 875, Καδμηίδι Op. 162, πατρώιον 376, κεχρημένος 478, 634, πεπνυμένα 731. Tum restant 302 exempla, quae ad arbitrium suum occupant aut thesin aut arsin [1]; quorum 235 thesin sibi elegerunt (in Th. 100, in Sc. 58, in Op. 57, in Fr. 20), 67 autem in arsi sunt posita (in Th. 23, in Sc. 18, in Op. 17, in Fr. 9) [2].

---

[1] Etiam ex his exemplis alia in thesi, alia facilius in arsi collocari apparet; sed necessitatis legem non sequuntur.

[2] Haec ita in arses distribuuntur ut, prima et quinta arsibus omissis, quae nullam mutationem patiuntur, productio occupet

in II:o	pede	XXX:am	fere	quamque	arsin	spondaicam;
„ III:o	„	LXIX:am	„	„	„	„
„ IV:o	„	LXXXXIII:am	„	„	„	„

Iam ita in contrarium abiit res, ut pro exemplorum copia arsis plures accipiat productiones quam thesis. Undesexagesima fere quaque thesi productionem accipiente, quadragesima sexta fere arsis ei locum praebet. Quod ut fortasse mirum videtur, ita non dubii haeremus, unde explicandi ratio sit petenda. Quam scilicet nobis indicant tabellae, quae pag. 77 ostendunt, quomodo in arses distribuantur hae productiones. Unde emergit iis imprimis eligi eas arses, quae non bene in diaeresin exeunt. Productio enim huius generis in secunda aut tertia arsi posita id insuper commodi affert, ut evitentur spondaicae harum sedium incisiones [1]. Nulla omnino eius modi causa est, cur sibi thesin eligat productio. Nam praeter primam (et sextam) sedem et omnes perapte utuntur masculis incisionibus et in dactylis vario modo neglectas compensant. Quare mirandum non est, si ex his concludere licet arsin non minus quam thesin productioni placere. Scilicet iis temporibus, quibus scribebantur carmina Hesiodea, tanta producendi facultas inerat iunctis mutae et liquidae, ut in interiore vocum parte nulla extranea vis ad producendum opus esset [2].

Rariora sunt alterius positionis generis exempla in arsi posita. E ducentis viginti uno exemplis productae vocalis finalis brevis tredecim tantum exempla in arsi sunt collocata [3].

---

[1] Quod tertia arsis, quae non minus quam secunda diaeresin fugit (vide pag. 15), rarius accipit productionem, inde pendet, quod severioribus caesurarum legibus circumscribitur vocum forma, quae eam occupant. Debent enim incipere a tertia arsi et finem ponere aut in quarta thesi aut in bucolica (imprimis dactylica) caesura, voces autem, quae in secunda arsi producunt, ut ad arbitrium fere incipiendi locum sibi eligunt, ita non refert utrum in tertia thesi an in tertio trochaeo finem ponant.

[2] Ex his elucet ad huius quidem producendi generis exempla Hesiodea non referri Hartelii verba, quae inveniuntur Hom. Stud. I, pag. 412: „. . . wie schwach die auf diesem Wege (positione ante iunctas mutam et liquidam) erzeugte Länge war, erhellt daraus, dass sie zumeist der unterstützenden Kraft der Arsis (= thesis) bedurfte, um sich zu behaupten“. Neque de producendi usu Homerico vera esse possunt. Scilicet omisit quaerere, quae esset inter θέσεων et ἄρσεων numeros ratio.

[3] Ex his exemplis exstant 7 in Th., 6 in Op. Pro ratione, quae est inter theses et arses, e ducentis viginti uno productionis exemplis 40 fere arsin occupare debuerunt.

Quod Sc. nusquam in arsi producit vocalem finalem brevem, dubitare licet, utrum casu factum sit, an quod posteriore tempore sit conscriptum; quo tempore iam minor producendi vis inesset iunctis mutae et liquidae.

Eius modi exempla exstant in prima arsi tria [1]; in secunda decem [2].

Quod hoc positionis genus altero rarius producit in arsi, eius rei causam in eo positam esse invenio, quod, intercedente diaeresi, finalis vocalis brevis diducta a sequentibus initialibus consonis non tam explet spondei arsin quam vocalis, quae eiusdem vocis est atque excipientes muta et liquida; quae artiore vinculo cum iis iungitur.

Quod e 13 exemplis 10 in secunda arsi spondaica ponuntur, id factum est, quod diaeresis secundum spondeum excipiens infirmissima est (vide pag. 34) ut quam minime a sequentibus muta et liquida diducat finalem vocalem. Invenimus etiam in omnibus huius diaeresis exemplis, quae inter productam vocalem et sequentes consonas intercedunt, articulum positum esse; quem iure procliticae naturae participem esse suspicati sumus, ut eo minor etiam fiat diaeresis vis distinendi [3].

Inter versus sedes aliae magis, aliae minus favent correptionibus. E tabellis pag. seq. apparet, quot in quaque sede posita sint correptionis exempla utriusque generis.

E paucis exemplis prioris generis non licet concludere quas sedes occupare soleant. Nam quod prior quinti dactyli arsis longe plura exhibet correptionis exempla quam ceterae arses, eius rei — id quod docet pag. seq. n. 1, e — causa est nomen proprium, quod est Ἀφροδίτη, quod semper efficit versus clausulam. Credo equidem caesuras observandas formasque vocum, quae corripiunt, correptionibus locum assignare [4].

Quod de alterius generis correptionibus docet Hartel, l. l., eas prae ceteris eligere tertii et quinti dactylorum arses priores, id valet

---

[1] Th. 254: ῥεῖα πρηΰνει; Op. 553: πυκνὰ Θρηικίου; 690: ἀλλὰ πλέω λείπειν· de hoc loco vide pag. 66.

[2] Th. 108: εἴπατε δ' ὡς τὰ πρῶτα; 113: ἠδὲ καὶ ὡς τὰ πρῶτα; 188: μήδεα δ' ὡς τὸ πρῶτον; 202: γεινομένῃ τὰ πρῶτα; 425: ἀλλ' ἔχει ὡς τὸ πρῶτον; 505: καὶ στεροπήν· τὸ πρὶν δέ; Op. 291: καὶ τρηχὺς τὸ πρῶτον· 387: φαίνονται τὰ πρῶτα; 467: ἀρχόμενος τὰ πρῶτ'· 679: ἦμος δὴ τὸ πρῶτον. De Fr. 244,1 vide pag. 71, n. 1.

[3] Forsitan non iniuria Paley et G.-Fl. τοπρῶτον, ταπρῶτα excudant, ut accentu uno quasi cohibeantur et in alterum positionis genus abeant. Sed nescio an, ut sibi constent, etiam τοπρίν excudere debeant.

[4] Hartel, qui I, pagg. 443, 444 exquirit, quibus in versus sedibus imprimis collocentur correptiones, huius positionis generis non habet rationem.

	Correptionis									
	Prioris generis exempla.					Alterius generis exempla.				
	Th.	Sc.	Op.	Fr.	S:a [1]	Th.	Sc.	Op.	Fr.	S:a [2]
In primi dactyli arsi priore	2	4	—	—	6 a)	2	1	1	2	6 α)
„ „ „ „ altera	—	—	—	—	—	1	—	2	—	3 β)
„ secundi „ „ priore	—	4	3	—	7 b)	—	1	2	—	3 γ)
„ „ „ „ altera	—	—	—	—	—	—	—	1	1	2 δ)
„ tertii „ „ priore	1	1	—	—	2 c)	8	4	11	1	24 ε)
„ „ „ „ altera	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—
„ quarti „ „ priore	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—
„ „ „ „ altera	1	—	1	—	2 d)	—	1	1	1	3 ζ)
„ quinti „ „ priore	9	4	3	3	19 e)	10	6	9	4	29 η)
„ „ „ „ altera	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—
Correptionum numerus est	13	13	7	3	36 [3]	21	13	27	9	70 [4]

etiam de exemplis Hesiodeis. Vide tabellas huius pag. [5]. Observare licet pro numero correptionum Hesiodum plures in ceteris arsibus ponere quam

[1] a) Th. 317, 599; Sc. 165, 292, 416, 459. b) Sc. 37, 44, 80, 433; Op. 34, 315, 395. c) Th. 632; Sc. 294. d) Th. 160; Op. 655. e) Th. 16, 195, 822, 962, 975, 980, 989, 1005, 1014; Sc. 2, 8, 47, 54; Op. 65, 521, 567; Fr. 36,3, 117,1, 152,3. Nomen, quod est Ἀφροδίτη, in hac versus sede legitur decies sexies.

[2] α) Th. 476, 715; Sc. 154; Op. 696; Fr. 9 (vide pag. 73, n. 2), 117,5. β) Th. 281; Op. 732, 758. γ) Sc. 144; Op. 310, 726. δ) Op. 588; Fr. 244,1 (confer pag. 71, n. 1). ε) Th. 169, 319, 323, 453, 521, 546, 779, 981; Sc. 78, 106, 179, 263; Op. 48, 86, 93, 479, 487, 578, 591, 760, 766, 773, 814; Fr. 8,1. ζ) Sc. 293; Op. 605; Fr. 274 (si est, ut opinor, versus clausula). η) Th. 218, 223, 322, 329 (vide pag. 70, n. 1), 500, 510, 614, 825, 903, 949; Sc. 117, 147, 166, 233, 326, 445; Op. 24, 242, 276, 319, 353, 423, 477, 594, 686; Fr. 14,2, 65,2, 92, 199,2.

[3] Μουσοπνόων Fr. 218, qua in sede positum fuerit, non elucet.

[4] Praeter eos locos, quos occupant correptiones apud Hesiodum, Homerus corripit semel in altera arsi tertii dactyli, Il. XI, 69:

πυρῶν ἢ κριθέων· τὰ δὲ δράγματα ταρφέα πίπτει·

(Fr. 274, si recte est restitutum, corripit ante eandem vocem, sed in caesura bucolica), bis in altera arsi quinti dactyli,

Il. V, 462: εἰδόμενος Ἀκάμαντι θοῷ ἡγήτορι Θρῃκῶν·

et Od. X, 234: ἐν δέ σφιν τυρόν τε καὶ ἄλφιτα καὶ μέλι χλωρόν·

h. III, 560 eadem nobis occurrit clausula μέλι χλωρόν.

[5] Si rationem habemus incisionum omnium, non tam inter se distant sedes quam e correptionum numero concludere licet. Tertia enim et quinta trochaica caesura longe fre-

Homerum; quod nescio an pro sua parte ostendat correptionem iam Hesiodi temporibus faciliorem redditam esse. Apud Homerum e quingentis quinquaginta sex exemplis 480 (= 86,3) in tertia et quinta caesuris trochaicis posita sunt, 76 (= 13,7) in ceteris, qui correptionem patiuntur, locis. Hartel, I, pag. 443. Hesiodus e 70 exemplis in trochaicis caesuris tertii et quinti pedum collocat 53 (= 75,7), alias sedes occupant 17 (= 24,3). Scilicet iam minus, ut correptio fiat, opus est magna illa, quae in illis caesuris fit, diductio vocalis a consonis [1]. Apud utrumque poetam correptiones saepius occupant quintam quam tertiam trochaicam caesuram. Illa praebet apud Homerum 278 (= 50,0), apud Hesiodum 29 (= 41,4), huius vero exempla Homerica sunt 202 (= 36,3), Hesiodea 24 (= 34,3) [2].

Quod dicit Hartel, I, pag. 444, mirum esse, quod in bucolica caesura corripiat poeta Il. XXIII, 186:

ἤματα καὶ νύκτας, ῥοδόεντι δὲ χρῖεν ἐλαίῳ·

eius rei, ut nuper vidimus, exstant tria exempla Hesiodea [3]. Neque debet ea res admirationem nostram movere; quod autem unum tantum exemplum eiusmodi in hac caesura exstat apud Homerum, ostendit, quanta fuerit producendi vis in iunctis muta et liquida. Caesura enim, quae intercedit inter pedes, necessario disiungit verba, ut minus observetur iunc-

---

quentius exstant quam ceterae. Vide tabellas pag. 14. Quarta trochaica caesura nullum correptionis exemplum exhibente, singulas correptiones

praebet in	I	trochaeo	CXXXXIII:a	quaeque	incisio;
„	II	„	LXXXXIIII:a	„	„
„	III	„	LVIIII:a	„	„
„	V	„	XXXVIII:a	„	„

Fr. omissa sunt.

[1] Hartel I, pag. 444, quaerit, cur imprimis, vel — ut eius utar verbis — in solis tertia et quinta trochaicis caesuris nobis occurrant correptiones. Responsum inde petendum est, quod ceteris caesuris et magis frequentantur et firmiores sunt, ut magis a consonis diducant vocalem, quare suam facilius servat quantitatem.

[2] Silentio non praetermittendum est, ex undetriginta co rreptionis ante iunctas mutam et liquidam exemplis, quae in quinta trochaica caesura apud Hesiodum exstant, viginti quinque, quae e necessitate metrica corripiunt (Κρονίων, Προμηθεύς, προσηύδα, δράκοντε etc.) etiam e necessitate quadam hanc versus sedem occupare, quum voces, quae utuntur figuris ◡ -- ◡, ◡ — —, imprimis sibi eligant versus clausulam.

[3] h. V unum exhibet exemplum huius correptionis, v. 431:

βῆ δὲ φέρων ὑπὸ γαῖαν ἐν ἅρμασι χρυσείοισι.

h. VIII, 1 alterum: Ἆρες ὑπερμενέτα, βρισάρματε, χρυσεοπήληξ.

tas mutam et liquidam excipere brevem vocalem. Quod vero tam rarae omnino sunt correptiones in caesuris metricis, quae vocantur, id magna ex parte pendet ex ea re, quod longe plurima verba, quorum initiales consonae muta et liquida in correptione sunt positae, eius modi utuntur forma, ut metrica necessitate primam syllabam in fine dactyli ponant. Eius modi enim metrica necessitate tenentur verba, quae aut iambica sunt nec corripere possunt syllabam finalem, aut ab iambo incipiunt: ◡ –, ◡ – ⏒, ◡ – ◡◡, ◡ – – ⏒, ◡ – ⏔ –; quae formae undequinquagies nobis obviae sunt, vel, addita voce, quae est Κρονίων: ◡ – –, quinquagies ter. Ex 17, quae restant, correptionis exemplis, sex exhibent voces, quae aut pyrrhichia forma utuntur, aut iambica in vocalem sonum exeunte, quem licet corripere (βροτοί etc., Κρόνῳ etc.); quare nullo modo possunt excipere syllabam in metrica caesura positam; quattuor exempla excipit monosyllabum breve, quod est πρός; cui ter, ante vocales, praemittuntur correptiones in trochaicis caesuris positae, semel, consona excipiente, praemittitur correpta vocalis in primi dactyli fine. Sex tantum a longa syllaba incipiunt voces, quibus septima additur monosyllaba forma, quae est χρώς; quae scilicet excipiunt brevem arsin in caesura metrica positam [1].

Restat, ut quaeramus, quo modo in theses distribuantur productiones ante iunctas mutam et liquidam. Quod ex his tabellis apparebit:

---

[1] Exempla iam allata sunt pagg. 71, 72. Secundum Etym. M. (vide supra pag. 71, n. 2) iis, quae illo loco afferuntur, addendum est Fr. 8,2:

οὕνεκα τρισσὴν γαῖαν ἑκὰς πάτρης ἐδάσαντο.

Quod Goettlingius iussit οὕνεκα et τρισσήν locum mutare, id haud dubie fecit, ut evitaret correptionem ante iunctas mutam et liquidam. Sed vix opus est emendatu. Hilberg, pag. 129 (163). Scilicet debent firmissimae metricae caesurae imprimis accipere correptiones. Quare exspectandum est ut praecipue in prima et quarta collocatae sint, quae ceteris maiore vi utuntur. Ex exemplis pagg. 71, 72 allatis invenimus firmissimas has caesuras terna accipere, infirmam autem secundam duo, quorum alterum, Fr. 244,1 iam pag. 71, n. 1, emendatione summovere conati sumus, alterum autem Op. 588 Spitzner, pag. 96, suffragantibus G.-Fl., ita corrigit ut productionem accipiat: αὐαλέος δὲ χρώς -, τε eiecto. Sed vix ausim iis assentiri. Nulla enim caesura praemissa, nescio an tantam vim sibi asciscat secunda diaeresis dactylica, ut vocalem finalem ab initialibus consonis magis diducat, quam ut liceat emendatione eam producere. Praeterea productionis exempla, quae ad hoc positionis genus pertinentia arsin occupant, nuper, pag. 80, vidimus rara esse, et omnia, quae hanc arsin occupant, vocem procliticam (artic.) exhibere.

Apparet me assensum negare La Rochio pag. 41 delenti γε in prima diaeresi dactylica Il. XXIV, 795: καὶ τά γε χρυσείην ἐς λάρνακα θῆκαν ἑλόντες —.

	Productionis									
	prioris generis exempla					alterius generis exempla				
in	Th.	Sc.	Op.	Fr.	S:a	Th.	Sc.	Op.	Fr.	S:a
exstant in I thesi	47	29	32	7	115	2	1	2	—	5
„ „ II „	45	22	24	13[1]	104	37	13	14	5	69
„ „ III „	11	5	8	4	28	4	1	3	2	10
„ „ IV „	52	29	30	19	130	34	28	24	10	96
„ „ V „	44	29	38	10[2]	121	14	5	6	1	26
„ „ VI „	49	16	16	12	.93	—	1	1	—	2
	248	130	148	65	591	91	49	50	18	208

Quod attinet ad prioris generis exempla, observandum est, in tertia thesi longe rariores quam in ceteris esse productiones [3]. Quod ex ea re pendet, quod tam artis finibus circumscribitur usus verborum in hoc pede. Nam quum raro hic pes careat caesura (vide infim. pag. 43), e verbis, quae vocalem ante mutam, quam excipit liquida, producunt, ne caesurarum leges violentur, ea tantum accipere potest, quae aut trochaica forma utuntur [4], aut in trochaeum exeunt [5], ut fiat in hoc pede incisio tro-

---

[1] Fr. 249, quum tantummodo partes versus exstent, num in hac thesi productiones posuerit, dubitare licet. At de Fr. 11 non dubitatur.

[2] Fr. 140 credo esse versus clausulam.

[3] Scilicet maius, quam numeri ostendunt, intercedit discrimen inter theses huius generis producendi exempla frequentantes. Quae si in theses incisione carentes — quae solae hoc nomine sunt respiciendae; quarum numeros eruere licet e tabellis pag. 14: in I:o pede 1829, in II:o, 1120, in III:o 1232, in IV:o 1141, in V:o 1826, in VI:o 2295 — distribuimus, Fr. exemplis seductis, invenimus

in III:o pede LI:am quamque thesin accipere productionem;
„ VI:o „ XXVIII:am „ „ „ „
„ I:o „ XVII:am „ „ „ „
„ V:o „ XVI:am „ „ „ „
„ II:o „ XII:am „ „ „ „
„ IV:o „ X:am „ „ „ „

[4] δίφρον Sc. 338, 352; ἔτραπ᾽ Sc. 456; Κάδμος Th. 937; Κύκνος Sc. 368; λυγρά Op. 100; μακρά Th. 129; μέτρα Op. 648; πατρός Th. 164, 262; πατρί Th. 896, Op. 259, Fr. 24,2; τέτμῃ (ante vocalem) Th. 610; Ὕπνον Th. 212.

[5] ἄεθλα Op. 654; ἄοκνος Op. 495; ἀριθμός Fr. 188,5, -όν 3; ἄροτρα Op. 432; ἔπεφνεν Sc. 57; εὔπεπλον Th. 273; κυανόπεπλον Th. 406; ὑπέροπλον Th. 619.

chaica [1]. At ceterae theses accipiunt etiam verba aliarum figurarum. Quamquam etiam in iis omnino observare licet, quo artioribus legibus circumscribitur vocum forma, quas accipiant, eo rarius productionem exstare [2].

Ut nunc ad secundi generis exempla transgrediar, i. e. quae brevem vocalem finalem producunt in thesi ante initiales mutam et liquidam, mirum non est, quod theses prima et sexta tam rara exempla praebent. In prima enim thesi monosyllabae solae producere possunt [3]; sextam thesin, quum admodum pauci versus in monosyllabas voces exeant — vide supra pag. 40 —, apparet difficillime productioni locum praebere [4].

De ceteris pedibus observandum est, qui saepissime in arsi trochaica corripiunt (pag. 81), eos rarissime in thesi producere. Ut supra vidimus longe plurimas correptiones nobis occurrere in prioribus arsibus tertii et quinti pedum, ita hic invenimus tertiam et quintam thesin rarius quam secundam aut quartam producere. Utriusque rei eandem esse causam duco, quam scilicet iam supra passim indicavimus, caesura intercedente tam diduci vocalem finalem et sequentes initiales mutam et liquidam, ut vocalis valde inclinet ad suam ipsius quantitatem servandam. Ideo videmus firmissimam caesuram, semiquinariam quam dicimus, ceteris rarius producere, quum iis magis diducat vocalem et consonas [5].

---

[1] Quattuor tamen locis, ubi producta syllaba est in thesi tertii pedis, abest caesura: Th. 501: Λῦσε δὲ πατροκασιγνήτους· Op. 206: μύρετο· τὴν ὅ γ' ἐπικρατέως· 455: φησὶ δ' ἀνὴρ φρένας ἀφνειός· Fr. 3,2: τὴν πρὶν Ἀβαντίδα κίκλησκον.

[2] Pro rata parte duplo fere crebriora exempla productionis in sexta thesi exstare in Th. quam in Sc. aut Op. observandum est; causam non erui.

[3] Exempla sunt Th. 313: τὸ τρίτον· 461: τὰ φρονέων· Sc. 127: τὸ πρῶτον· Op. 90: Τὸ πρίν· 487: τὸ πρῶτον.

[4] Sc. et Op. singula exempla praebent; Sc. 303: κύνε πρό· Op. 232: δὲ δρῦς.

[5] Haec sunt productionis exempla quae in ea sede exstant:

Th. 79: Καλλιόπη θ'· ἡ δὲ προφερεστάτη κτλ.	Op. 636: Κύμην Αἰολίδα προλιπών κτλ.
185: γείνατ' Ἐρινῦς τε κρατεράς κτλ.	647: βούληαι δὲ χρέα τε προφυγεῖν κτλ.
287: Χρυσάωρ δ' ἔτεκε(ν) τρικέφαλον κτλ.	771: τῇ γὰρ Ἀπόλλωνα χρυσάορα κτλ.
509: ἡ δέ οἱ Ἄτλαντα κρατερόφρονα κτλ.	Fr. 138,1: Αἴπυτος αὖ τέκετο Τλησήνορα κτλ.
Sc. 241: πολλοὶ μὲν κέατο, πλέονες κτλ.	244,3: Φοῖβον Ἀπόλλωνα χρυσάορον κτλ.

E tabellis pag. 41 apparet semiquinariam spondei firmitate vincere semiquinariam dactyli; quod idem interpunctiones ostendere pag. 48, n. 1, invenimus. Si iure h. l. statuimus firmiores caesuras magis obstare productioni, infirmiores eam faciliorem reddere, exspectare licet pro caesurarum numero frequentiora dactyli quam spondei semiquinariam productionis

Exstante autem caesura, ut assolet, in tertio pede, minus observantur caesurae masculae secundi et quarti pedum, ut artiore vinculo coniunctae efferantur vocalis finalis et consonae initiales [1].

Haec quum videantur satis clara esse, magis mirum videtur, quod etiam in quinta thesi admodum rara sunt huius productionis exempla. Id tamen non tantum pendere e caesura vocalem a consonis diducenti vel inde elucet, quod seminovenaria non inter firmiores versus incisiones habetur [2] sed altera causa inde petenda est, quod haec incisio non admodum frequentatur [3].

Hartel I, pag. 445, ex ea re, quod tam raro invenit interpunctionem in tertia trochaica caesura correptionem alterius generis exhibente, concludit poetam de industria evitasse interpunctionem, ne difficilius esset corripere vocalem, accedente spiritus intermissione. Ego contrario modo nu-

exempla exhibere. Re vera —, seductis Fragmentis, quorum, quum caesuras recensebam, rationem non habebam, — octogesimus secundus quisque versus semiquinaria dactyli praeditus (vide incisionum tabellas pag. 14) eo loco huius generis productionem exhibet, e 374, quae exstant, semiquinariae spondaicae exemplis, unum tantum. Sed numeri minores sunt quam ut certi quidquam ex iis concludere liceat.

[1] Quemadmodum semiquinaria spondei firmior nobis visa est quam semiquinaria dactyli — confer n. anteced. —, ita etiam semiseptenariam spondei firmiorem esse quam semiseptenariam dactyli statuimus. Confer tabellas pag. 41 et pag. 49, n. 1. Idem producendi ratio ita testatur, ut infirmior semiseptenaria dactyli in 62 versibus, i. e. in XIII:o fere quoque productionis exemplum accipiat. Confer pag. 14. Mentione dignum est, e versibus, qui tertii pedis caesuram omittentes principali caesura utuntur semiseptenaria, quorum versuum numerus est 47 (pag. 44; Fr. non habeo rationem), nullum in semiseptenaria producere brevem vocalem finalem ante iunctas initiales mutam et liquidam, quum omnino quarto decimo fere quoque loco haec thesis incisa productionis exemplum exhibeat. At semiternaria, cui neglecta tertii pedis caesura maiorem vim tribuimus, duo exempla praebet Th. 17, 136. Solet eius modi exempla in nono decimo fere quoque versu ponere.

[2] Vide tabellas pag. 41. Fortasse tamen firmior est haec caesura quam pro frequentia sua. Credibile est seminovenariae vim non tam quam semiseptenariam imminui tertii pedis caesura, quum ab illa sede longius absit. Ubi integra neque deminuta seminovenaria exstat, haud dubie saepe admodum firma est, quum praecipua tum fiat incisio eius versus partis, quae a quartae sedis caesura primaria incipit.

[3] Incisionum integrarum ratione habita, omissis Fragmentis, apparet

in II	thesi	XIX:am	quamque	incisionem	accipere	productionem;
„ III	„	CXXXVII:am	„	„	„	„
„ IV	„	XIV:am	„	„	„	„
„ V	„	XX:am	„	„	„	„

De prima et sexta thesibus vide pag. anteced.

merorum ratione nisus ostendere conatus sum, quo magis spiritus intermissione diducantur vocalis et consonae, eo facilius illam suam servare quantitatem. Si iure conclusit Hartel interpunctiones de industria, ne correptioni obstarent, evitatas esse, exspectare licet ut ad productiones adiuvandas usurpatae sint. Mirum est quod prorsus hanc quaestionem omisit; quae alterius tamquam aversa pars est. Apud Hesiodum quidem res se ita habet, ut e tota productionis exemplorum silva (221) duo tantum interpungant inter vocalem et consonas [1], quum e septuaginta, quae corripiunt, etiam duo utantur interpunctione [2]. Conferendus est Heimer, qui de Pindaro, exemplis nisus, pag. 108, negat interpunctionem valere ad producendam vocalem brevem finalem ante mutam cum liquida. Praeterea quod, sive producitur, sive corripitur vocalis, rarae sunt interpunctiones, eius rei causa magna ex parte posita est in ipsis verbis. Nam longe maior pars exemplorum productae vocalis in talibus verbis nobis occurrunt, quae aut non aut vix sententiam concludere possint. Praepositiones enim pyrrichia forma usae producunt finalem brevem vocalem quinquagies quinquies [3], τε, δέ, γε quinquagies novies [4] etc. Neque aliter se habent correptionis exempla.

Non debeo silentio praetermittere me in hac de producta vocali finali ante iunctas mutam et liquidam commentationis parte etiam rationem habuisse eorum locorum, quibus Rz. plerumque contra codicum testimonia, Nauckii aliorumque observationes secutus (Praef. pag. VIIII), ν paragogicum ante mutam cum liquida iunctam addidit; ubicumque enim metrum tulit, exceptis versuum clausulis, id addidit. Itaque ν additum invenimus ante γλ Sc. 431; ante πλ Th. 857, Op. 379 (quo loco dubius haereo, utrum κε an κεν sit legendum; illud exhibent K.-K., hoc G.-Fl., Rz. Libri vacillant. Confer La Rochium, pag. 10, aliisque locis); ante κλ Th. 956, Sc.

[1] Sc. 241 in semiquinaria, Op. 313 in semiternaria (h. l. maior est interpunctio).

[2] Sc. 78, Op. 766 in tertia trochaica caesura. G.-Fl. eo loco interpungunt etiam Th. 319; quo in versu, aucta tertia trochaica caesura, tolerabilior mihi videtur fieri correptio singularis.

[3] Quindecies in semiternaria (Th. 7, Sc. 2, Op. 5, Fr. 1), quadragies in semiseptenaria (Th. 14, Sc. 10, Op. 11, Fr. 5): ἀνά bis, ἀπό octies, διά decies, ἐνί octies, κατά bis, μετά octies, περί sexies, ὑπό ter. Cur has sedes occupent praepositiones, ostendimus supra pag. 22.

[4] In semiternaria τε decies septies, δέ undecies, γε ter; in semiquinaria δέ et τε singulis locis; in semiseptenaria δέ duodecies, τε semel; in seminovenaria δέ semel, τε duodecies.

219, Op. 1, 70; ante δν Th. 826; ante γρ Fr. 24,3; ante τρ Th. 287. Op. 169 libri ipsi exhibent ν paragogicum; versum magno consensu spurium ducunt editores [1].

Cap. V.

De positione ante alias quasdam consonarum coniunctiones omissa.

Hic tamquam appendicis loco nobis in examen vocanda sunt quaedam exempla, quae producendi legem violare videntur.

De variante lectione ἀπάλαμνον Op. 20 pro ea, quae vera est, ἀπάλαμον iam pag. 58, n. 1, mentionem fecimus. Ex iis, quae postea de correptione apud Hesiodum disputavimus, apparet, credo, Mommsenum, Supplem. ad Pind. Olymp., pag. 6, falli, qui dicit correptionum licentiam summam esse apud Hesiodum. Nam, ut supra vidimus, fere non aliam sibi sumpsit licentiam quam qua iam usus est Homerus.

Difficillima est quaestio, quomodo appellandum sit nomen proprium, quod est Ἠλεκτρύων [2]; de qua voce iam permulta scripta sunt; quare religioni paene habeo iis, quae iam exstant, disputatiunculis novam addere, quum praesertim non sperem fore ut quidquam certi vel eiusmodi, quod aliis persuadeat, eruam.

Syllabam -εκτρ- nullo modo corripi posse apparet, quum iam vix corripiatur syllaba ante binas consonas. Quare si quis doceat hanc vocem a dactylo incipere, eum iam missum facimus. Quod autem G.-Fl. in commentario docent υ et ων syllabas pronuntiando in unam coire, satis obscurum est. Qua enim ratione fieri potuerit, non video, nisi mihi concedunt aut υ non appellatum fuisse, quod alii docent, aut — id, quod aliis magis placet — in consonam spirantem abiisse.

---

[1] Ante alias consonas quam mutam cum liquida supervacaneum ν paragogicum addidit Th. 211: ἔτεκεν στυγερόν· 601: θῆκεν ξυνήονας· 820: ἐξέλασεν Ζεύς· Sc. 220: ἔχεν πτερόεντα· Op. 117: ἔφερεν ζείδωρος· 146: ἔμελεν στονόεντα· 194: μύθοισιν σκολιοῖς· Fr. 3,3: ὠνόμασεν Ζεύς.

[2] Huius vocis exstant in Sc. hae formae: Ἠλεκτρύωνος 3, -ώνης 16, 35, -ώνῃ 86, quae versuum clausulas efficiunt, Ἠλεκτρύωνα 82, quae forma excipit primum pedem. Hartel, I, pag. 411, omittit v. 86, falso autem dicit v. 82 in hoc nomen exire.

Wilamowitz-Moellendorff, (Hermes XIV, pagg. 457—460), usus titulo, quem in vulgus edidit Newton, (Transactions of the R. Society, N. S., XI, 8), ubi invenitur nomen proprium, quod est Ἀλεκτρώνα, persuadere nobis conatur formas Hesiodeas, υ suppresso, quaternis syllabis usas esse. Jure enim, quod videam, statuit Ἀλεκτρώνα idem esse nomen atque Ἠλεκτρυώνη. At dissuadet, ne excudatur Ἠλεκτρώνη etc.; nam e versibus Euripideis, Alcest. 838, 839:

νῦν δεῖξον οἷον παῖδά σ' ἡ Τιρυνθία
Ἠλεκτρυώνη γείνατ' Ἀλκμήνη Διί,

emergere putat tragicum poetam in suo carminum Hesiodeorum exemplari legisse formam, quam praebent libri nostri: Ἠλεκτρύωνος etc.

Huic disputatiunculae adiungit Fleckeisen (Jahrb. f. class. Phil., 1880, I, pagg. 605—608) aliam, qua demonstrare conatus est Graecos ipsos in Sc. legisse formas υ abicientes. Ex ea enim re, quod Plautus in prologo Amphitruonis usus est forma primi casus, quae est *Electrus* [1], concludit eum apud auctorem suum invenisse figuram υ omittentem, quum non raro voces graecae, in -ων desinentes, in latinum sermonem conversae primi casus exitum *-us* sibi assumant [2]. Quod quum ita sit; facillime statui formam Plautinam *Electrus* derivandam esse a graeca forma Ἠλέκτρων.

Sed hi scriptores non persuaserunt Rzachio, qui (Jahresber. üb. die Fortschr. der class. Alterthumswissenschaft, 1881, I, pag. 140) eos recenset. „Es muss", inquit, „entschieden daran festgehalten werden, dass die ältere Namensform Ἠλεκτρύων lautete wie Ἀμφιτρύων" [3]. Quod probandum esse indico.

---

[1] Versus Plautini, 97—99, sunt:

haec urbs est Thebae: in illisce habitat aedibus
Amphitruo, natus Argis ex Argo patre,
quocum Alcumenast nupta, *Electri* filia.

[2] Exempla affert ἀρχιτέκτων: (*architecto* et) *architectus* (Plautus, Cicero, al.); Τρανίων: (*Tranio* et) *Tranius* (Plautus, Mostell. 560, 1169); Ἀλκμέων: *Alcumeus* (Capt. 562); Πορφυρίων: *Porporeus* (Naevius).

[3] Nescio an etiam ipsa vox Ἀμφιτρύων in hac epica narratione defenderit antiquam formam υ servantem et appellantem. Cuius menti obversantur Sc. vv. 2, 3:

ἤλυθεν ἐς Θήβας μετ' ἀρήιον Ἀμφιτρύωνα
Ἀλκμήνη, θυγάτηρ λαοσσόου Ἠλεκτρύωνος —

vix sibi persuadebit alteram formam retinuisse et appellasse, alteram abiecisse υ. Si quis contra afferat Amphitruonem non apud Plautum satis valuisse ad defendendam veram Electruonis formam, haud dubie mihi concedat ipsum fabularum nexum minus valere apud ro-

Ut igitur ei assentior non satis firma argumenta allata esse, quibus nisi e contextu tolli iubeamus formas Ἠλεκτρύωνος aliasque, excudi formas, quae υ abiciunt, ita non possum probare, qua ipse usus est, explicandi rationem. „Bei der Aussprache ward an den Hesiodstellen υ halbvocalisch". Sed quaerere omisit, num fieri possit ut efferatur consonarum coniunctio, quae, υ cum semivocali mutato, evadit. Quod ego confidenter nego. ρ enim consona, nisi praemissae vocali adnectitur, ante consonam appellari non potest [1]. Ut vocalis in sonum consonum abeat, necesse est adiungatur eiusmodi consonis, quas uni vocali iunctas lingua non recusat, quominus efferat [2]. -κτρϝ- autem una vocis contentione appellari non possunt [3]. Cuius rei si rationem habuisset, vix semivocalem defendisset.

Omnes fere, qui in metricis rebus versantur, sumunt poetas antiquos nusquam leges metricas violasse [4]. Quae aliud testantur, quocunque modo fieri potest, conantur ita explicare, ut salva sit haec opinio. Nulla

---

manum comoediarum scriptorem — nam re vera nihil de eius auctore scimus — quam apud poetam epicum graecum; quare iure dubitatur, num e Plauti versibus concludi possit de vocis forma in Sc. Quamquam credere licet Plauti auctorem exarasse formam υ abicientem. Praeterea nescio an alia via orta esse possit forma Plautina, *Electrus*. Nonne nomen femin. generis, quae est *Electra*, valere potuit ad fingendam formam, quae est *Electrus?* Analogiae vis quin multa explicet, quis est, qui dubitet?

[1] Eodem modo nescio an Curtius erret, qui, *Das Verbum der Griech. Sprache. Zweite Aufl.*, II, pag. 167, docet in versu, quem e Timone Phliasio affert Diogenes Laertius, II, 126:

Λῆρον ἀναστήσας ὀφρυωμένος ἀφροσιβόμβαξ

ὠφρυωμένος fortasse legendum esse et υ semivocalem naturam sibi assumere.

[2] Quod attinet ad exempla, quae semivocalem υ exhibentia affert (γενύων Pind. Pyth. IV, 225 — de qua voce confer Heimerum, pag. 121 —, Ἐρινύων Eurip. Iphig. Taur. 931, 970, 1456, ἄστυ ἐριχυδές in oraculo apud Herod. VII, 220), eius modi consonas iungunt, quae, vocali praemissa, facile appellentur. Wilamowitz, l. l. υ in spirantem abiisse in hac voce iure negat ille quidem; quod autem omnino negat vocales ι et υ spirantium naturam sibi induisse, ei adstipulari non ausim.

[3] Qui υ in consonam abire docent, necessario iidem ρ in vocalem abire iubent, ut novam syllabam efficiat. Sed lingua graeca, qualis nobis tradita est, eius modi ρ non agnoscit. Neque subvenire potest metro claudicanti.

[4] Ut exemplum instar omnium afferam, haec verba apud Schmidtium exstant, pag. 85: „Knittelverse sind in jedem Volke erzeugt worden; die Griechen allein zeichnen sich dadurch aus, dass ihre classischen Dichter keinen einzigen Vers gebildet haben, der gegen die Regeln eines verfeinerten Sprachgefühles verstiesse". Pag. 108: „. . . überhaupt ist uns keine *licentia poetica* bei den classischen Dichtern bekannt".

iis res tam curae est quam ne quid detrimenti capiat metrum. Quod ut prohibeant, syllabas tamquam in Procrustae lecto positas modo producunt, modo corripiunt. Brevem syllabam longam reddere, longam brevem parvi ducunt. Quod saepe vident omnes fere recentioris aetatis poetas, summa necessitate coactos, leges metricas deseruisse, flocci non faciunt. Scilicet antiquitatis poetas omnium perfectissimos fuisse, Homerum Hesiodumque maculis non eluendis affectos esse, si quo loco pro dactylo exstaret palimbacchius, qui callidis grammaticorum artificiis aut cum dactylo aut cum spondeo mutari non posset. Quod non probo.

Nostro loco quum certis argumentis non possit probari Ἠλέκτρων esse veram appellandi (et scribendi) rationem, neque fieri potuerit ut υ post consonas κτρ in spirantem abierit, quae explicandi ratio restat? Nulla, opinor, nisi ut verbum traditum accipiamus et, ut traditum est, appellemus.

Bis corripitur vocalis brevis finalis ante initiales consonas σκ; Th. unum exemplum praebet,

v. 345: Εὔηνόν τε καὶ Ἄρδησκον θεῖόν τε Σκάμανδρον.

alterum exstat in Op., v. 589: εἴη πετραίη τε σκιὴ καὶ βίβλινος οἶνος —.

La Roche, pag. 42, sedecim ex Iliade affert exempla, quae brevem vocalem servant ante nomen Σκαμάνδρου· inter quae XII, 21, cuius clausula est: δῖός τε Σκάμανδρος· quam credere licet nostro loco poetae obversatam esse. Ubique exstare variantem lectionem σ abicientem docet pag. 43, n. 17; quam etiam firmare Scholiastam in Il. I, 1 nobis testis est [1]. Neque abest haec varians lectio loco Hesiodeo. Licet in comparationem vocare geminas formas, quae sunt σκεδάννυμι - κεδάννυμι, σκίδναμαι - κίδναμαι, σμικρός - μικρός [2]. Neque vero certi quidquam, quod ego videam, assequi possumus. Hartel, I, pag. 411, non prorsus abnuit formam, quae σ omittit. Confer de σ initiali e consonarum σκ coniunctione evanescente Meyeri Gr. Gr., § 249. Sed sive credibile iudicamus Κάμανδρος, σ initiali abiecto, legendum esse, sive statuimus pedem in hexametro dactylico insolitum

---

[1] διὰ τὸ μέτρον ἓν λ γράφεται (in Achillis nomine), ὡς Κάμανδρος ἀντὶ τοῦ Σκάμανδρος.

[2] Ex his verbis has tantum formas exhibent carmina Hesiodea: ἐσκέδασ' Op. 95, σκιδναμένῃ (M. κιδναμένη· (ῃ?) forma posita est in versus initio) Th. 42; σμικρός Op. 360, ubi excipit brevem in arsi productam vocalem, Op. 361, quo in versu semel brevem in thesi productam vocalem, semel longam arsin καί excipit. Fr. 188,2 μικρός excipit diphthongum in arsi positam.

metrica necessitate excusari [1], talia argumenta vix licet afferre de loco ex Op. petito. Nam metrum, ut in versum cadat σκιή, non iubet σ abici. Bis nobis occurrit haec vox in Od.,

X, 495: οἴῳ πεπνῦσθαι· τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσιν·

XI, 207: τρὶς δέ μοι ἐκ χειρῶν σκιῇ εἴκελον ἢ καὶ ὀνείρῳ·

Praeter v. 589 exstat etiam in Op. 593: ἐν σκιῇ ἑζόμενον κτλ. Accedit ex hymnis unum exemplum, V, 100: ἐν σκιῇ, αὐτάρ κτλ. Ut his locis, ita etiam Op. 589 potuit poeta metro adaptare hanc vocem, in diaeresi dactylica finalem vocalem corripiens. Quum operae pretium non habuerit id facere, vix credere licet eum difficiliora consilia iniisse, aut vocem mutilantem [κιή (sic) ut Κάμανδρος pro Σκάμανδρος] aut in brevis syllabae loco collocantem syllabam - ε σκ-; quamquam hoc probat Schmidt, pag. 84 [2]. Praeterea satis mira videntur verba πετραίη σκιή, *umbra petrosa*. Quid valeant? Nescio an alterum nomen petendum sit, quod apte dicitur πετραῖον. Quare mihi credibile videtur totam difficultatem in id redire, quod versui emendatione opus est [3].

Emendare autem iam, teste Rzachio, conati sunt Schaeferus, qui coniecit: εἴη πέτρῃ τε σκιερή, et Nauckius, cui mea quidem sententia melius res cessit:

ἀλλὰ τότ' ἡδύ (pro ἤδη)

εἴη πετραίη συκέη καὶ βίβλινος οἶνος.

Jam Heckero, teste eodem, visum est ἡδύ pro ἤδη scribendum esse.

---

[1] Re vera nugantur, qui ante tales consonas correptionem fieri docent. Nam syllaba longa est, neque potest brevis reddi. Confer Hartelium I, pag. 408, et imprimis Brückii verba, quae pag. 409 afferuntur; „Jeder Consonant verlangt seine Zeit, um gebildet zu werden, und jeder Consonant, der einer Silbe ein- oder angefügt wird, verlängert ihre Dauer“.

[2] Observandum est versum primaria caesura uti semiseptenaria, ut, arto vinculo verba τε - σκιή cohibente, perquam infirma exstante semiquinaria, ne firmiores quidem caesurae auxilium ad correptionem defendendam afferre liceat.

[3] Variantes lectiones, quae sunt πετρέη τε σκιή et πετραίη σκιή nihil auxilii ferunt, quum praesertim iis obstet quantitas vocalis. Neque credere licet σκιή in monosyllabam vocem abiisse, ut statuunt viri docti voces, quae sunt Αἰγύπτιος, Ἱστίαια apud Homerum trisyllabas appellandas esse (La Roche, pag. 43; Schmidt, pag. 66, 69; confer Spitznerum, pag. 99; „si accuratius“, inquit, „haec intueamur, ea magis ad synaloepham, quam ad correptionem referenda esse, videri possit“. Aliter R.-W. II, 2, pag. 291; qui iudicant vocalem corripi: Αἰγύπτιος, Ἱστίαια). Versus enim tum violaret legem vetantem tertium pedem spondeum exire in syllabam finalem. Sed enclitica particula τε habenda est pro syllaba finali vocis praemissae.

Paene mihi persuasi Nauckii emendationem veram esse. Nam ipsa concinnitas mihi videtur poscere, ut una cum vino Biblino mentio fiat alicuius rei, quae ad corporis vires reficiendas spectet, et, ut vinum dicitur a Biblina regione, sic nomen habeat e loco, unde petitur. Quare ego deduco πετραίη vocem e nomine urbis (regionis), quae est Πέτρα. Cuius nominis plures erant urbes Graecae. Herod., V, 92, β mentionem facit pagi Corinthiaci huius nominis [1].

Apparet variantes lectiones, quae sunt μεμάρποιεν, μεμάρπτοιεν, Sc. 252, falsas esse. Alio loco, quid sit legendum, eruere conabimur.

Quamquam huc non pertinent, afferre licet duas stirpes, quarum littera initialis est π, quae autem, ubi metrum poscit, post π inserunt τ, ut antecedens brevis vocalis producatur, dico πόλεμο-ς et πόλι-ς. Curtius, Grundz. pag. 498, Kuhnio praeeunte, docet formas a simplici consona π incipientes principales esse, deinde *j* consonam ad π adhaesisse, tum ante *j* δ consonam genitam esse (confer pag. 623), *j* denique excidisse et δ in tenuem abiisse. Annotanda haec sunt:

πόλεμος — πτόλεμος. Illa forma legitur decies septies aut post longam syllabam aut post brevem in consonam exeuntem; haec semel exstat, brevem vocalem finalem excipiens, Th. 638:

οὐδετέροις, ἶσον δὲ τέλος τέτατο πτολέμοιο.

πολεμίζω — πτολεμίζω. Illam non praebent carmina Hesiodea (apud Homerum invenitur, ubi metrum alteram non poscit), haec nobis occurrit Sc. 358: ἀρκέσει, εἰ δὴ νῶι συνοισόμεθα πτολεμίζειν.

πολίπορθος — πτολίπορθος. Nullum locum cognitum habeo, qui priorem

[1] An credere licet ἥδη ortum esse ex ἡδέα, neutr. plur. num.? Quae forma appellando propior aberat ab ἥδη. ἀλλὰ τότ' ἡδέα | εἴη κτλ. De plur. num. vide Kühnerum, *Ausführl. Grammatik d. Greich. Sprache. Zweite Aufl.* II, pag. 69, β). Quod ad contractionem insolitam attinet, constat διπήχη etc. legi, et Choeroboscus ex Ione tragico affert τραχεῖ pro τραχέε. Kühner, I, pag. 345, Anm. 9. Insolitam vocis νέα contractionem Od. IX, 283 conferre licet; de qua tamen Meyer, Gr. Gr. § 133, dubitat. At vix licet dubitare de ea, quam praebet Herodotus, IV, 88, in epigrammate:

Δαρείου βασιλέος ἐκτελέσας κατὰ νοῦν.

Quod digamma vocis ἡδὺ laeditur, non est causa, cur respuamus emendationem Nauckianam. Potius dubitationem nostram movet id, quod versus admodum fit durus, a quattuor spondeis incipiens. Ea forma admodum pauci versus utuntur. Vide pag. 5.

formam exhibeat. Neque Homerus neque Hesiodus eam agnoscit. Haec saepe legitur apud Homerum, semel apud Hesiodum, Th. 936:

ἐν πολέμῳ κρυόεντι σὺν Ἄρηϊ πτολιπόρθῳ.

Omnia, quae, lexicis ducibus, inveni exempla Homerica, ita collocata sunt, ut excipiant brevem vocalem finalem [1].

Neque πτολίεθρον vocis exstat altera forma a simplici consona incipiens. Ut apud Homerum multis locis, ita Sc. 81:

ἦλθε λιπὼν Τίρυνθον, ἐϋκτίμενον πτολίεθρον

omnis abest metrica necessitas, quae iubeat a duabus consonis incipere vocem.

Cap. VI.

De brevibus syllabis finalibus productis.

Duo sunt brevium syllabarum finalium genera productionis. Quorum unum ea continet exempla, quae exhibent breves vocales productas ante voces a singulis consonis incipientes, alterum eos comprehendit locos, in quibus breves syllabae finales in consonas litteras exeuntes producuntur ante voces a vocalibus litteris incipientes [2].

Secundum theses, quas occupant, disposita, haec prioris generis exempla exstant apud Hesiodum:

a) in secunda thesi producunt [3]:

---

[1] Etiam πτολιπόρθιος, quod exstat Od. IX, 504, 530, excipit utroque loco brevem vocalem.

[2] Tertium est genus, quod brevem vocalem finalem ante vocem a vocali incipientem producit. Cuius generis nullum exemplum exstat apud Hesiodum. Quae huc pertinere videntur exempla, prioris generis sunt, quum quondam digamma in vocis excipientis fronte positum fuerit.

[3] Secundum Rzachium: *Studien zur Technik des nachhomerischen heroischen Verses. Wien, 1880.* (et Hartelium, I. pag. 403) hic indicabo versus Homericos, quos videntur versus Hesiodei imitari: a) Il XV, 187 (?); b) Il. XXIII, 583 v. l. est ἔχε ῥαδινήν; c) Il. IX, 191, Od. VIII, 87; d) Od. XIV, 7, etc.; e) Il. XII, 20; f) Il. XII, 241, etc.; g) Il. XX, 434 (?); h) Il. II, 58, etc.; i) Il. XIII, 590, XXIII, 215; k) Il. XI, 476, 664, etc.; l) Il. X, 304: ἔπι μεγάλῳ; m) Il. XVIII, 160; n) Il. XI, 572 (Hartel, l. l., errore typoth. Δ pro Λ exhibet); o) Il. V, 308: ἀπὸ ῥινόν etc; p) Od. I, 56.

Th. 135: Θείαν τε Ῥείαν τε a)
195: ποσσὶν ὑπὸ ῥαδινοῖσιν b)
218: Κλωθώ τε Λάχεσίν τε, = v. 905.
221: οὐδέ ποτε λήγουσι c)
227: Λήθην τε Λιμόν τε
320: δεινήν τε μεγάλην τε d)
340: Φᾶσίν τε Ῥῆσόν τ'
341: Νέσσον τε Ῥοδίον θ' e)
649: ὑμεῖς δὲ μεγάλην f)
656: ἴδμεν, ὅ τι περὶ μέν g)

Sc. 5: εἴδεΐ τε μεγέθει τε h)
71: λάμπεν ὑπὸ [1] δεινοῖο.
278: τοὶ μὲν ὑπὸ λιγυρῶν i)
409: ἶφ ἀπὸ νευρῆς k)
437: ὡς δ' ὅτ' ἀπὸ μεγάλου l)
451: ἀλλὰ μέγα (F)ιάχων m)
455: ἐν σάκεΐ μεγάλῳ n)

Op. 515: καί τε διὰ ῥινοῦ o)
537: χλαῖνάν τε μαλακήν p)

b) in tertia thesi producunt:

Th. 71: νισσομένων πατέρα (σ?F)ὸν [2]
803: ἐννέα πάντ' ἔτεα· δεκάτῳ
901: Δεύτερον ἠγάγετο λιπαρήν [3] a)
1007: γείνατ' Ἀχιλλῆα ῥηξήνορα b)
Sc. 59: αὐτὸν καὶ πατέρα (σ?F)ὸν = Th. 71 c)

c) in quarta thesi producunt:

Th. 401: παῖδας δ' ἤματα πάντα ἕο μεταναιέτας εἶναι [4].
417: ἔρδων ἱερὰ καλὰ κατὰ νόμον
694: καιομένη, λάκε δ' ἀμφὶ πυρὶ μεγάλ' ἄσπετος ὕλη [5] a)
885: ἀθανάτων· ὁ δὲ τοῖσιν ἐῢ διεδάσσατο
931: Τρίτων εὐρυβίης γένετο μέγας b)
Sc. 152: αὐτῶν, ὀστέα δέ σφι περὶ ῥινοῖο c)

---

[1] Quattuor Sc. locis, qui producunt ultimam praepositionum ἀπό et ὑπό, 71, 278, 409, 437, codices variantes lectiones ἀπαί et ὑπαί exhibent; v. 71 formam ὑπαί excudunt Ranke, Lennep [in nota: „Videtur tamen", inquit, „etiam hic a poeta profectum esse ὑπὸ δειν· (ὑποδδεινοῖο)" ut infra v. 98 ὑποδδείσας], K.-K., Paley, G.-Fl., ὑπό autem cum uno libro Rz.

[2] Librorum scripturam: πατέρ' εἰς ὅν, teste Rzachio, ita emendavit Brugmann, *Ein Problem*, etc. Scheerius: πατέρα σφόν. Licetne νίσσομαι cum solo accus. coniungere?

[3] a) Il. XXII, 406, etc.; b) Il. VII, 228, etc.; (Rz. mendo typoth. 428); c) Od. III, 39. De Th. v. 803 emendando infra. Op. 599: χώρῳ ἐν εὐαέϊ καί κτλ. secundum codices omnes fere editores. Rz. εὐαεῖ. Vide Neue Beiträge etc. pag. 28. De Op. 696, ubi pauci libri exhibent: μήτε τριήκοντα (F)ετέων (ceteri: τριηκόντων) conferendus est Rz. in editione.

[4] Libri aut exarant ἑοῦ, quod placuit K.-K., G.-Fl., aut ἑοῦς, quod excudunt Lehrs, Paley, Schoemann; quod idem solent priores editores exhibere. Brugmann emendavit.

[5] a) Il. IX, 9, etc.; b) Od. XXI, 412, etc.; c) Od. XII, 46: περὶ δὲ ῥινοί, etc.; d) Il. XVIII, 537; e) Il. XI, 37; f) Od. IX, 236, etc.; g) Od. XIV, 354, etc.; h) Il. XXIV, 497, etc.

158: ἄλλον τεθνηῶτα κατὰ μόθον d)
195: δίφρῳ ἐπεμβεβαώς· παρὰ δὲ Δεῖμος e)
236: ἄγρια δερκομένω. ἐπὶ δὲ δεινοῖσι f)
364: παντὶ μένει σπεύδων, διὰ δὲ μέγα g)
461: οὔτασ' ἐπικρατέως· διὰ δὲ μέγα
Od. 130: ἀλλ' ἑκατὸν μὲν παῖς ἔτεα παρὰ μητέρι
Fr. 154,3: Ἱπποτάδην τέ οἱ υἱὸν ἐνὶ μεγάροισιν h)

d) in quinta thesi producit
Th. 49: ὅσσον φέρτατός ἐστι θεῶν κράτεΐ τε μέγιστος (Il. VII, 142)

e) in sexta thesi producit
Th. 819: δῶκε δὲ Κυμοπόλειαν ὀπυίειν, θυγατέρα (σ?F)ἤν [1].

Apparet hoc producendi genus proxime accedere ad alterum, quod exstat ante iunctas mutam et liquidam. Ut in cap. IV, pag. 85, vidimus productionem vocalis finalis ante initiales mutam et liquidam imprimis iis locis poni, ubi appellando arte iunguntur, ita res suadet hoc quoque producendi genus eas potissimum sibi eligere versus sedes, quae firma caesura non distinentur [2].

Quod thesis prima nullum huius productionis exemplum praebet, mirum non est, quum versus vix ab eius modi verbo initium capiat, quod brevem finalem vocalem producat. Neque mirum est sextam thesin praeter unum locum evitare hanc producendi rationem, quum, nisi versus in monosyllabam vocem exit, exstare nequeat. Quod quinta thesis non magis quam sexta hanc productionem frequentat, velim conferas ea, quae

---

[1] Prima thesi omissa, quae nullum productionis exemplum exhibet, haec tabula melius sub aspectum ponet, quod inter theses productionem accipientes intercedat discrimen; productionem exhibet

in thesi	II					III					IV					V					VI					
	Th.	Sc.	Op.	Fr.	S:a	Th.	Sc.	Op.	Fr.	S:a	Th.	Sc.	Op.	Fr.	S:a	Th.	Sc.	Op.	Fr.	S:a	Th.	Sc.	Op.	Fr.	S:a	omn.
	11	7	2	—	20	4	1	—	—	5	5	6	1	1	13	1	—	—	—	1	1	—	—	—	1	40

[2] Rz., Hesiod. Untersuch. pag. 21: „. . . die dem liquiden Anlaute vorausgehenden Worte“ inquit, . . . „(stehen) mit dem nachfolgenden Worte in engster syntaktischer Verbindung . . ., so dass ihr Anschluss an dieses im mündlichen Vortrage um so inniger sein kann und muss“.

leguntur pag. 86, n. 2. Quod autem tertia longe rariora producendi exempla exhibet quam secunda aut quarta (secunda dimidiam partem, quarta tertiam omnium productionum praebet), pendet scilicet ex ea re, quod semiquinaria magis quam semiternaria aut semiseptenaria vocalem a sequenti consona distinet [1]. Confer ea, quae exposita sunt pag. 85. Observare licet etiam e versibus, qui in semiquinaria producunt, praeter Th. 803, nullum primaria uti hac caesura. Tertia trochaica enim utuntur Th. 71, Sc. 59 (nisi in hoc versu firmiorem putamus semiseptenariam), bucolica autem primaria caesura uti videntur Th. 901, 1007.

Quum productio maxime inde pendere videatur, quod vocalis finalis brevis sub ictu posita [2] una cum consona eadem vocis vi ac contentione appellatur, apparet magni interesse, qua natura utantur consonae vocalem excipientes [3]. Quae liquida natura utuntur, ut quae appellationis vi produci possint, debent facilius exhibere productionem quam quae subita quadam neque durante vocis contentione efferuntur (exploduntur), quas explosivas dicimus; inter quas quae sonant propius a liquidis abesse constat. Re vera ante liquidas λ, μ, ν, ρ, longe plures productiones exstant, (28: ante λ 6, ante μ 13, ante ν 2, ante ρ 7), ante alias consonas duodecies tantum invenitur productio: ante Ϝ quater, quae consona ad liquidarum naturam accedere videtur, ante explosivam δ sonantem quinquies; at ante explosivam mutam π bis, τ semel tantum [4].

---

[1] Si pro frequentia, qua utuntur theses incisae — neque ceterarum ratio habenda est —, productiones distribuimus, invenimus, omisso Fr. loco, productionem

in II:o pede occupare LXI:am quamque thesin;
" III:o " " CCXX:am " "
" IV:o " " IC:am " "

[2] Finalem vocalem sub pedis ictu poni necesse videtur non tam, quod ictus valet ad producendam brevem vocalem, quam quod diaeresis inter pedes magis a sequenti consona diducit vocalem quam quae in interiore pedum parte fit caesura. Diaeresis enim firmitatem suam inde petit, quod efficitur finientibus in eodem loco pede et voce, ut simul pedis et vocis accentu augeatur; caesura autem, quam accipit interior pedis pars, solo vocis fine efficitur. Unde petenda est causa, cur nusquam in arsi hanc productionem inveniamus. De exemplis Homericis, quae huc pertinent, vocalem in arsi producentibus vide Hartelium, I, pag. 442.

[3] Hartel, I, pag. 407; Rzach, Hesiod. Untersuch., pag. 21.

[4] Fortasse magis proprie ita declaramus causam, quod aliae consonae facilius, minus facile aliae producuntur, ut eam dicamus positam esse in parte vocali, quam aliae maiorem, aliae exhibent minorem.

Hoffmann, I, § 83, dicit causam productae vocalis finalis ante voces a singulis consonis incipientes positam esse in ipsis vocibus vocalem excipientibus, quod antiquissimis temporibus a binis consonis inceperint; atque e vocibus, quas a binis consonis olim incepisse certis argumentis probare licet, concludit de iis, in quibus binas consonas initiales fuisse comparandis linguis cognatis demonstrare non possumus: productionem ante eas nobis aperire antiquas formas. Hoffmanni sententiam magna ex parte probarunt, qui post eum in rebus grammaticis versati sunt; alia autem ex parte eam refutarunt. Inter recentiores rerum metricarum scriptores nemo propius ad Hoffmannum accedit quam Schmidt, pag. 85 sqq.; qui omnia, quae exstant, productionis exempla ante λ μ ν e binis initialibus consonis deducit [1], quae autem ante ρ inveniuntur, aut posita esse in prisco initiali digammo, pag. 89, aut in ipsa initiali consona ρ gutturali, quam distinguit a dentali ρ, post digamma posita, pag. 90. Aliter Meyer, Gr. Gr., § 288.

Sed iam singulas inspiciamus voces, quae productionem efficiunt.

λ. Ab hac consona incipiunt haec verba Hesiodea, quae producunt antecedentem brevem vocalem: Λάχεσις, ante quod bis invenitur productio, λήγουσι [2], λιγυρός, λιπαρός, Λιμός [3], quae singulas productiones efficiunt.

Hartel, I, pag. 398, docet voces Homericas — inter quas sunt Hesiodeae λήγω, λιγυρός, λιπαρός — a λ incipientes, antecedentem brevem vocalem producentes, non demonstrari posse a binis consonis olim incepisse (praeter λίς = λϝίς [4]). Verbo tamen, quod est λήγω, Knös,

[1] Pag. 93: . . . „näher betrachtet sind es . . . nur gewisse Wörter, welche . . . diese Position veranlassen . . . Dies lässt schliessen, dass auch jene Wörter einen consonantischen Laut noch vor der betreffenden Liquida hatten". pag. 94: „Anderes aber (quam sumere σ initiale) bleibt auch nicht übrig bei μέγας, μαλακός, μέλεα und μελίη, da σ der natürlichste und ungezwungenste Vorschlag vor μ ist". pag. 95: „Auch bei den übrigen (scilicet quae linguis cognatis comparandis a binis consonis incepisse demonstrari non possunt) mit λ und ν anlautenden, Position machenden Wörtern, möchte ich ein vorgeschlagenes starkes *h* annehmen und finde so das Schwanken der Wörter bei Homer leicht erklärlich". (νέφος e *σνέφος per mediam formam ʽνέφος deducit).

[2] λήγω semel, Op. 421, excipit brevem syllabam (τε) non productam, quater longam.

[3] Ter (Op. 230, 299, 363) brevem, quinquies longam excipit syllabam.

[4] Curtius, Grundz. n:o 543. Forma enim a duabus consonis incipiens quater requiri videtur ut producatur praemissa vocalis finalis,

Il. XI, 239: ἕλκ' ἐπὶ οἷ μεμαὼς ὥς τε λίς, ἐκ δ' ἄρα χειρός —

pag. 232, (De digammo Homer. Upsaliae. MDCCCLXXII.) Curtius., Grundz. pag. 738 (an. in pag. 183) consentientes attribuunt duas consonas initiales. Quas fuisse σλ verisimile ducit Curtius, Froehdium secutus, qui in comparationem attulit formam Norroenam slak-r (λαγαρός).

Ceterae voces non possunt comprobari a binis consonis incepisse. De λιγυρός vide Knösium, Dig. pag. 234; λιπαρός pag. 235; Curtium, l. l. n:o 340 [1]. De nominibus propriis, quae sunt Λάχεσις et Λιμός, nihil eruere potui.

μ. Ab hac consona incipiunt μαλακός, quod semel, μέγας, μέγεθος, quae octies producunt vocalem brevem finalem, quae antecedit, μέγαρον, μεταναιέτης, quae singulis locis producunt. E cognatis linguis aut apparet ea a singulis consonis incepisse, aut de altera nihil licet eruere. De μαλακός vide Curt., Grundz. n:o 457; Knös., Dig. pag. 234. De stirpe μέγα Knös., pag. 235. Quae ante huius stirpis voces exstant exempla productionis apud Homerum, enumerat pag. 250; Curt., Grundz. n:o 462. Knös auctor est μέγαρον eiusdem stirpis esse; neque Curtio a veri similitudine abhorrere videtur; Meyer quoque, Gr. Gr., § 161, id probat; at Schmidt, qui duplices initiales consonas captat, pag. 94 e voce τμήγειν deducit: τμέγαρον. Mirum sane esset, si haec vox una initiale τ amisisset, quum ceterae eiusdem stirpis admodum sint eius tenaces [2]. De μετά vide Curt., Grundz., n:o 212; de μόθος adeundus est Knös, Dig. pag. 235, Curt., Grundz., n:o 476. Neque omnino viris doctis contigisse, ut, linguis cognatis comparatis, ostenderent verba Homerica, hoc nomine spectanda, a binis initialibus consonis incepisse testis est Hartel, I, pag. 398.

ν. Ab hac consona incipiunt duae voces, νευρή et νόμος.

Il. XI, 480: ἐν νέμεϊ σκιερῷ· ἐπί τε λῖν ἤγαγε δαίμων —
XVII, 109: ἐντροπαλιζόμενος ὥς τε λὶς ἠϋγένειος —
XVIII, 318: πυκνὰ μάλα στενάχων ὥς τε λὶς ἠϋγένειος —.

Sed dubius haereo, num a consonarum coniunctione, quae est λϝ, incipere potuerit vox graeca. Quae vix efferri potest, nisi vocalis praemittitur. Quare, quum praesertim exstent productiones ante alias a λ incipientes voces, quibus non licet tribuere alteram initialem consonam, dubitare licet, num iure, ut excusentur, quas annotavi, correptiones, haec tam dura forma afferatur.

[1] Kühner tamen, Ausführl. Gramm. I, § 58,2, censet λιπαρός olim a γ incepisse.

[2] Praeterea nescio an τμάγαρον esse debuerit (τμήγω, ἔτμᾰγον)? De μεγαρο- = μεγαλο- vide Curtium Grundz., pag. 558, Knösium et Meyerum, ll. ll.

νευρή Sc. 409. Ad radicem *snar* deferunt Curtius, Grundz., n:o 434, Knös, Dig., pag. 231. Confer verbum suecanum „snöre“. Ex exemplis productionis, quae affert Knös, pag. 252, apparet verborum coniunctionem ἰῷ ἀπὸ νευρῆς, quam Sc. versus exhibet, bis exstare apud Homerum, Il. XI, 476, 664. Altero loco non exstat apud Hesiodum; at νεῦρον legitur Op. 544, longam thesin in consonam exeuntem excipiens. Knös affert unum versum, qui obstat σ initiali, Od. XXI, 410, in clausula: πειρήσατο νευρῆς.

νόμος. Th. 417. Non est, cur suspicemur hanc vocem alteram initialem praemisisse litterae ν. Curtius, Grundz. n:o 431. Quod ego sciam, nullum productionis ante hanc vocem exstat exemplum apud Homerum [1].

ρ. Voces ab hac consona incipientes, quae brevem vocalem finalem producunt, hae sunt: ῥαδινός, Ῥεία, ῥηξήνωρ, Ῥῆσος, ῥινός, Ῥοδίος. De his verbis confer in universum Meyerum, Gr. Gr., § 163.

ῥαδινός Th. 195. Curtius, Grundz., n:o 515; Knös, Dig., pag. 294.

Hanc vocem a duabus consonis incepisse ostendit forma aeolica, quae est βραδινός. Altero loco Hesiodeo non exstat.

Ῥεία Th. 135. Knös, Dig. pag. 309, 310.

Haec vox ab una an a duabus consonis inceperit ut decernamus, nobis desunt argumenta [2].

ῥηξήνωρ Th. 1007. Huius vocis radicem esse ϝραγ testatur Knös, Dig., pag. 291; confer pag. 293, et Curtium, Grundz. pag. 542.

Ῥῆσος Th. 340. Ex aliis locis, qui hoc nomen, seu hominis seu fluvii, exhibent, non potest concludi de digammo initiali. Knös, Dig. pag. 310.

ῥινός Sc. 152, Op. 515. Hanc vocem initiale digamma habuisse auctores sunt Curtius, Grundz., pag. 567, Knös, Dig., pag. 301. Th. 539, Sc.

---

[1] Brevem syllabam excipit νόμος Th. 66, Op. 276, Fr. 248, longam thesin Op. 388.

[2] Nisi satis ducimus, quod brevis producitur vocalis, quam excipit, non modo nostro loco, sed etiam Il. XV, 187, in sexta thesi:

τρεῖς γάρ τ' ἐκ Κρόνου εἰμὲν ἀδελφεοί, οὓς τέκετο Ῥέα.

Var. lect. est: οὓς τέκε Ῥεῖα.

h. IV, 43 in secunda thesi: μήτηρ τε Ῥείη.

h. I, 93 in quinta thesi: ὅσσαι ἄρισται ἔασι, Διώνη τε Ῥείη τε.

Th. 467 autem: παῖδας ἑοὺς κατέπινε· Ῥέην δ' ἔχε κτλ.

ut h. V, 459, XII, 1 excipiunt brevem vocalem non productam. Th. 453, 625, 634, ut h. V, 60, 75, 442, sic in versu ponunt vocem, ut nihil probent.

427, qui huic voci praemittunt syllabam in consonam exeuntem, non obstant digammo, neque Th. 934, ubi in versus initio legitur ῥινοτόρῳ. De Homeri locis vide Knösium, l. l.

Ῥοδίος Th. 341. Knös, Dig., pag. 312. Praebet haec vox unum productionis exemplum apud Homerum, Il. XII, 20:

Ῥῆσός θ' Ἑπτάπορός τε Κάρησός τε Ῥοδίος τε.

Ex his locis de digammo concludere non licet.

δ. Hartel, I, pag. 393, docet recentiores rerum gammaticarum scriptores certis argumentis statuisse apud Homerum omnes a δ incipientes voces, ad hanc quaestionem pertinentes, a binis consonis olim incepisse. Apud Hesiodum hoc nomine annotandae sunt Δεῖμος Sc. 195, δεινός Sc. 71, 236, διεδάσσατο Th. 885, δέκατος Th. 803.

Δεῖμος, δεινός. Curtius quum ante docuisset harum vocum radicem a iunctis consonis δj olim incepisse, hodie, — id, quod, teste Hartelio, l. l., ante eum Fulda docuit — statuit eam consonas initiales δϝ habuisse, testem afferens titulum quendam Corinthium, qui praebet formam Δϝεινία. Grundz., pag. 663 (Stud. VIII, 465); Knös, Dig. pag. 278 [1].

διά, διεδάσσατο. Rzach, Neue Beitr., pag. 12, dicit poetae obversatas esse productiones ante voces, quae olim binas initiales consonas habuerint. Confer Hesiod. Untersuch. pag. 22. Vide etiam Curtium, Grundz. n:o 277.

δέκατος. Huius vocis etymon nusquam a duobus consonis incepisse certum est.

ϝ. Ab hac consona incipit (ϝ)ι(ϝ)άχω. Knös, Dig. pag. 59, sqq. De altera consona initiali non licet cogitare.

Hic subiungimus stirpem pron. tert. pers., quam constat a duabus consonis olim incepisse, σϝ. Curtius, Grundz. n:o 601; Knös, Dig. pag. 206, sqq.

De his vocibus, quae a digammo incipiunt, uberius disputabimus parte II horum studiorum, quae in digammo Hesiodeo versabitur.

Restant tria exempla, quorum productio, quod ego videam, vix effici potuerit consonarum initialium natura, Th. 49, 656, Op. 130.

---

[1] Δεῖμος bis, δεινός tricies septies sic in versu collocantur, ut de initialibus nihil doceant. Th. 334, 744, Op. 675, Fr. 33,6 (secundum schol. Laur.; Markscheffel δ' αἰνός) δεινός excipit brevem vocalem.

Th. 49: ὅσσον φέρτατός ἐστι θεῶν κράτεΐ τε μέγιστος [1] exemplar suum habere in producto exitu dandi casus apparet (simillimum est Il. VII, 142: τὸν Λυκόοργος ἔπεφνε δόλῳ, οὔ τι κράτεΐ γε).

Th. 656: ἴδμεν, ὅ τι περὶ μὲν πραπίδες, περὶ δ' ἐστὶ νόημα Rzach, Hesiod. Unters., pag. 26, et Hartel, I, pag. 433, ducunt imitari Il. XX, 434:

οἶδα δ', ὅτι σὺ μὲν ἐσθλός, ἐγὼ δὲ σέθεν πολὺ χείρων.

Quod non incredibile videtur. Hermann coniecit ὅ τοι legendum esse pro ὅ τι; quam coniecturam, Muetzellio probatam, ediderunt Schoemann, Paley, G.-Fl., Fl.; Rzach, l. l., codicum lectionem defendit, K.-K. aliquid mendi inesse versui statuunt. Ego dubius haereo, quid statuam. De aliis emendationibus, quae in hunc versum factae sunt, vide Rzachii editionem.

Quod attinet ad Op. 130:

ἀλλ' ἑκατὸν μὲν παῖς ἔτεα παρὰ μητέρι κεδνῇ,

similia exempla ex Homero collegit La Roche, pagg. 65, 66, Hartel, I, pag. 422. Credibile duco α finale productum, praeeunte Homero, esse vestigium prioris quantitatis, quae tribuitur exitui plur. num. neutr. gen. Hartel, l. l. Vix licet cogitare de verborum transpositione: ἀλλὰ πάϊς ἑκατὸν μὲν ἔτεα παρὰ μητέρι κεδνῇ (Hartel, Zeitschr. für die Österreich. Gymn. 1876, pag. 621), quamquam versus, ni fallor, melius sic congruit cum usu Hesiodeo [2]. De πάϊς disyllabo, ultimam producente, mox disputabimus.

Supra, pag. 96, docuimus vocalem finalem brevem, quo minor esset intercapedo inter eam et initiales sequentes consonas, eo facilius produci. Quod quum ita sit, non mirandum est, quod apud Homerum inter

---

[1] κάρτεϊ (sed diaeresi deformatum: κάρτεϊ) exarant libri EO. Formae κράτος et κάρτος, prout metrum poscit, usurpantur. κράτος occupat dactyli arsin Th. 385 (n. pr.), 662, Sc. 328, Fr. 214,2, κράτεος anapaesti locum occupat Th. 647, at κάρτος, priore syllaba in arsi posita, exstat Th. 710, κάρτεϊ dactylum efficit Th. 73, 437. Nostro loco non est ineptum de epica forma κάρτεϊ cogitare, ut productionem duram evitemus. Versui Homerico, Il. VII, 142, opus est forma κράτεϊ, ne in spondiacum abeat. — Eodem modo etiam κρατερός, κρατερόφρων passim, sed καρτερόθυμος Th. 225, 378, 476, 979, κάρτιστος Th. 981.

[2] Hanc transpositionem vel eam ob rem probare vix ausim, quod violat digamma, quod, servatis contextus verbis, fortasse vivum fuit. Neque audeo, Rzachii exemplum secutus, ut defendam traditam legendi rationem, allegare Th. 803. et Il. XX, 255: πόλλ' ἐτεά τε καὶ οὐκί· quippe quibus locis dubitare liceat, an digammo locus parandus sit, ut ἔτεα synizesi appellari debeat.

678 huius generis productiones 14 tantum interpunctione vocalem a consona seiungunt [1].

Hesiodus unum productionis exemplum exhibet in interpunctione positum, et in graviore quidem, dico Th. 803:

ἐννέα πάντ᾽ ἔτεα· δεκάτῳ δ᾽ ἐπιμίσγεται αὖτις.

Paley, observans digamma violatum esse, proposuit scribendum esse: ἐννέϜα πάντα Ϝέτεα· δεκάτῳ κτλ.; quam correctionem Flach., Theog., in contextum recepit. Rzach, Hesiod. Unters., pag. 24, (Neue Beitr. pag. 36), tuetur codicum lectionem, allegans Il. XX, 255:

πόλλ᾽ ἐτεά τε καὶ οὐκί· χόλος δέ τε καὶ τὰ κελεύει.

(et Op. 130). Sed versus Homericus nihil probat, quum plane eandem emendandi rationem subeat: πολλὰ Ϝέτεά τε καί κτλ. Conferendus est Knös, Dig. pag. 107, sqq. [2] et pag. 87, ubi de synizesi vocis ἔπεα loquitur. De versu Hesiodeo, Op. 130, supra nihil ausi sumus pro certo statuere. Quod autem Rzach dicit Th. 803 etiam rationem habendam esse caesurae principalis et interpunctionis firmae, id aperte videtur pugnare cum iis, quae supra docuimus, interpunctionem et caesuram non tam favere productioni quam obstare, quaeque firmantur eo modo, quo in

---

[1] Hartel, I, pag. 391. Qui loci omnes facillima interpungendi ratione utuntur, comma quod dicimus, uno excepto, Od. III, 41:

χρυσείῳ δέπαϊ· δειδισκόμενος δὲ προσηύδα.

Quo loco cogitare licet de ancipiti dandi casus exitu -ι. At si iure dicimus, ut vocalis brevis finalis producatur, necesse esse appellando artissime iungi sequenti consonae, admirationem nostram fortasse movet id, quod non omnes hae interpunctiones in infirmioribus caesuris sunt positae, sed augent interdum firmas caesuras, vel sua ipsarum vi iusto magis diducentes vocalem producendam et consonam. In semiquinaria enim positae sunt interpunctiones Il. I, 454, IV, 321, X, 16, XVI, 237, Od. III, 41, XXI, 247; in semiseptenaria Il. XVI, 21, XIX, 216, Od. XI, 478 (idem versus his tribus locis recurrit); in semiternaria Il. XIV, 183, XVI, 556, XXIII, 602, Od. III, 289; in seminovenaria Il. III, 172. Sed quum dimidia pars interpunctionum omnium, quae in thesibus ponuntur, nobis in semiquinaria occurrant, (si quidem ex Hesiodo concludere licet de usu Homerico; Hesiodus enim ex 596 in thesibus positis interpunctionibus trecentas unam in semiquinaria collocat), non admodum mirum dicimus, si e quattuordecim interpunctionibus sex in semiquinaria positas invenimus.

[2] Exempla huiusmodi enumerat Knös, Dig. pag. 109 (inter quae nostri simillimum Il. II, 328: ὣς ἡμεῖς τοσσαῦτ᾽ ἔτεα πτολεμίξομεν αὖθι·

ubi „facile“, inquit, „cum Bekkero coniicimus τοσσαῦτα Ϝέτεα“; quo tamen loco hunc versum omittit.

theses distributa sunt productionis exempla. Confer verba eius, quae allata sunt pag. 96, n. 2. Apparet enim intercapedinem magnam prohibere, quominus α artissimo appellandi vinculo cum consona sequenti iunctum eodem modo, quo cetera exempla, *producatur*. Sed fortasse aliis vicibus fungitur hoc loco vocis intermissio. Quas quidem mihi fingo ad similitudinem earum, quibus in versus fine fungitur, ubi anceps est ultima, quippe ubi intercedat maxima vocis intermissio. Credere licet in caesura firmissima, quam auget sententia finiens, eodem modo poni posse syllabam brevem pro longa [1].

Quod quum ita sit, vix diiudicari potest, utrum amplectenda sit Paleyi emendatio an codicum verba servanda. Qui codicum verba servanda ducunt, afferre possunt et exempla Homerica, quae brevem vocalem finalem in thesi ponunt non modo ante consonam sed etiam ante vocalem excipientem, et productum exitum, qui quondam fuit, plur. num. neutr. gen.. Hartel, I, pag. 422. Quibus autem magis placet emendatio Paleyana, iure contendunt codicum auctoritatem in hoc versu non magnam esse, quum necessario verba: ἐννέα πάντα Fέτεᾶ, si ab initio scripta fuerint, digammo exstincto, in ea abirent, quae hodie in libris exstant.

Vidimus longe plurima productionis exempla locos Homericos imitari. Quod quum ita sit, non est, cur magni momenti iudicemus esse id, quod productiones quaedam (12) e binis initialibus vocum sequentium explicari possint. Ego quidem credibilius censeo carminum Hesiodeorum conditores plenius hoc initium non sensisse, sed usum producendi antiquitus receptum secutos esse.

Quum igitur totam hanc producendi rationem apud Hesiodum ad exemplar Homericum referam, non est, cur de quorundam exituum quantitate producta disseram. Verisimile enim ducunt docti viri exitus quosdam, inter quos imprimis dandi casus in -ι exitus, producta quantitate apud Homerum uti, vel potius media, quae sine consonarum adiumento produci possit. Vide Hartelium, I, pag. 419 (Rz. Hesiod. Unters., pag. 26). Eiusmodi exitus producti nobis obvii sunt tres: κράτεϊ, Th. 49, πυρί

[1] Rzachium idem existimare haec verba, Hesiod. Unters., pag. 25, ostendunt: „. . . in Th. 803 . . . haben wir nach ἔτεα Hauptcäsur und starke Interpunction, also Abschluss des Gedankens und des ersten Verskolons. Die Stimme hält inne und *die eingetretene Pause muss das, was zur Länge der Silbe mangelt zur Wahrung des Tactes ersetzen*".

Th. 694, σάκεϊ Sc. 455. E quibus κράτεϊ forma sola ante consonam eius naturae exstat, quae productionem non adiuvet.

Quod attinet ad vocum figuras, quarum ultima producitur, monosyllabae voces quinquies decies producunt (τε novies, δέ quinquies, τι semel), pyrrhichiae (ἀπό, διά, ἐνί, κατά, περί, ὑπό; μέγα, ἐΰ; ἔο; ποτέ) quinquies decies, quae ternis brevibus utuntur aut in eius modi syllabas exeunt (γένετο, ἔτεα, ἠγάγετο, θυγατέρα, κράτεϊ, πατέρα, σάκεϊ) novies, vox antispastica Ἀχιλλῆα semel. Credere licet vocum figuras non nihil valere ad producendi rationem. Observandum enim est omnia, quae tertia thesis exhibet exempla, exstare in figuris, quae metrica necessitate in productam syllabam exeant. Quam thesin magis quam secundam aut quartam a productione abhorrere vidimus.

Pro carminum ambitu plures huiusmodi productiones praebet Homerus quam Hesiodus. Illo enim in 27795 versus distribuente 678 productiones (Hartel, I, pag. 390), i. e. quadragesimo primo quoque versu singula exempla exhibente, carmina Hesiodea, omissis Fr., in 2330 versus distribuunt 39, i. e. sexagesimus quisque versus singulas productiones exhibet. Hartel, I, pag. 406, „Wir sehen", inquit, . . . „das Gebiet der Antiquitäten sich verengen". Ea tamen inter carmina Hesiodea intercedit ratio, ut Sc. magis quam Homerus hoc producendi genus frequentet, Th. non multo rarius, Op. autem rarissima exempla praebeant. Sc. enim 14 exempla exhibens singula tricesimo quarto cuique versui tribuit, Th. autem, quae 22 productiones praebet, singula in quadragesimo sexto quoque versu collocat, quum Op., in quibus tres tantum nobis obviae sunt, ducentesimum septuagesimum sextum quemque versum hac productione instruant. Fragmentorum 250 fere versus unam tantum productionem exhibent [1].

Nunc ad alterum genus transeundum est, quod ea continet exempla, quae producunt breves syllabas finales in consonas exeuntes ante voces

[1] Quod Sc. hanc productionem magis quam Th. aut Op. frequentat, inde pendet, quod Scuti conditor apertius Homerum imitatus est. Exemplaria Homerica, quae e 14 Sc. exemplis 13 sequuntur, annotata sunt; neque caret quartum decimum, quod restat (v. 71), iis, quae imitari potuerit. E 22, quae in Th. nobis obvia sunt, 8 non aperta vestigia Homerica premunt, ut videatur Th. conditor magis quam qui Sc. consarcinavit suo usus esse indicio. Omnino Hesiodeus huius productionis usus comprobat ea, quae dicit Hartel, I, pag. 406: „die Antiquität kann nur dort ihre Existenz behaupten, wo sie der Damm einer festen Formel gegen Vernichtung schützt".

a vocalibus incipientes. Quibus locis productio forsitan explicanda sit e principali quadam consona initiali (ϝ), eam adscribam. Haec sunt productionis exempla secundum theses disposita:

a) in prima thesi: Op. 173 τρὶς (ϝ)ἔτεος· 443 ὃς (ϝ)ἔργου· 596 τρὶς ὕδατος·

b) in secunda thesi:

Th. 56: ἐννέα γάρ (ϝ)οἱ·
520: ταύτην γάρ (ϝ)οἱ.
Sc. 69: αὐτὸς γάρ (ϝ)οἱ·
244: ζωῇσιν (ϝ)ἴκελαι·
341: σμερδαλέον ἵπποισιν·
441: τόσσῃ ὃ μὲν (ϝ)ἰαχῇ·
Op. 434: εἴ χ' ἕτερον (ϝ)ἄξαις.
Op. 554: τὸν φθάμενος (ϝ)ἔργον·
570: τὴν φθάμενος (ϝ)οἴνας·
578: ἠῶς γὰρ (ϝ)ἔργοιο·
710: ἤ τι ἔπος (ϝ)ειπών·
721: εἰ δὲ κακὸν (ϝ)εἴποις·
Fr. 142,3: εὑράμενος ἵλεων·

c) in tertia thesi:

Th. 334: γείνατο δεινὸν ὄφιν, ὃς ἐρεμνῆς·
479: Ζῆνα μέγαν· τὸν μέν (ϝ)οἱ·
Sc. 100: Φοίβου Ἀπόλλωνος, (ϝ)ἑκατηβελέταο·
117: καί μιν ἀμειβόμενος (ϝ)ἔπεα·
231: ἱέμεναι μαπέειν. ἐπὶ δέ·
252: αἷμα μέλαν πιέειν· ὃν δέ·
304: ἱέμενοι μαπέειν, οἱ δ'·
330: ἄλλο δέ τοί τι ἔπος (ϝ)ερέω·
Sc. 337: οὐδ' ἵππους ἐλέειν οὔτε·
369: τῷ ἐπιπειθόμενος ἐχέμεν·
Op. 89: αὐτὰρ ὃ δεξάμενος, ὅτε·
376: Μουνογενὴς δὲ πάϊς εἴη·
453: ῥήϊδιον γὰρ ἔπος (ϝ)ειπεῖν·
577: ὄρθρου ἀνιστάμενος, ἵνα·
651: εἰ μὴ ἐς Εὔβοιαν ἐξ Αὐλίδος·
Fr. 135,4: Τοξεύς τ' ἀντίθεος, ἠδ'·

De Fr. 40,2: ὃν Χείρων θρέψεν ἐνὶ Πηλίῳ, vide pag. 61, n. 1 [1].

d) in quarta thesi:

Th. 91: ἐρχόμενον δ' ἀν' ἀγῶνα θεὸν ὥς·
178: πάντῃ· ὁ δ' ἐκ λοχεοῖο πάϊς ὠρέξατο·
307: δεινόν θ' ὑβριστήν τ' ἄνεμον (ϝ)ελικώπιδι·
480: Κρήτῃ ἐν εὐρείῃ τραφέμεν ἀτιταλλέμεναί τε.

---

[1] Sc. 310 est corruptus. Lectionem, quam exhibent libri manu scripti nonnulli: οἱ μὲν ἄρ' ἀΐδιον εἶχον πόνον κτλ., ut aliam, quae exstat in libro M, qui signatur, . . . ἀΐδιον δὴ ἔχον κτλ. metri causa profectas esse duco ex hac: οἱ μὲν ἄρ' ἀΐδιον ἔχον κτλ., quam plurimi codices exhibent. Confer Deitersium: *De Hesiodia Scuti Herculis descriptione. Bonnae. MDCCCLVIII.* pag. 32. Accedit quod ἀΐδιον vix aptum videtur. Paley coniecit scribendum esse: οἱ μὲν ἄρ' ἰδίοντες ἔχον πόνον κτλ., quae scribendi ratio mihi valde placet.

503: οἳ οἱ ἀπεμνήσαντο χάριν εὐεργεσιάων·
746: Τῶν πρόσθ' Ἰαπετοῖο πάϊς ἔχει·
844: καῦμα δ' ὑπ' ἀμφοτέρων κάτεχεν (ϝ)ἰοειδέα·
Sc. 369: τῷ ἐπιπειθόμενος ἐχέμεν (ϝ)ἐρυσάρματας·
Op. 430: εὖτ' ἂν Ἀθηναίης δμῶος ἐν ἐλύματι·
457: τῶν πρόσθεν μελέτην ἐχέμεν (ϝ)οικήια·
477: εὐοχθέων δ' ἵξεαι πολιὸν (ϝ)ἔαρ·
541: ἀμφὶ δὲ ποσσὶ πέδιλα βοὸς (ϝ)ἶφι·
673: σπεύδειν δ' ὅττι τάχιστα πάλιν (ϝ)οἶκόνδε·

e) in quinta thesi:
Th. 652: ἐς φάος ἂψ ἀφίκεσθε δυσηλεγέος ἀπὸ δεσμοῦ·
Sc. 77: ὅς ῥα τόθ' ἡνίοχον προσέφη κρατερὸν (ϝ)Ἰόλαον·
125: καλόν, χρύσειον, πολυδαίδαλον, ὅν (ϝ)οἱ ἔδωκε·
323: κοῦφα βιβάς· τῷ δ' ἡνίοχος κρατερὸς (ϝ)Ἰόλαος·
340: ἐσσυμένως· τότε δή ῥα διόγνητος (ϝ)Ἰόλαος·
467: υἱὸς δ' Ἀλκμήνης καὶ κυδάλιμος (ϝ)Ἰόλαος·
Op. 795: μέσσῃ· τῇ δέ τε μῆλα καὶ εἰλίποδας (ϝ)ἕλικας βοῦς·

f) in sexta thesi:
Th. 862: ἀτμῇ θεσπεσίῃ καὶ ἐτήκετο κασσίτερος ὣς·

Tria exstant exempla in prima arsi posita:
Th. 892: τὼς γάρ (ϝ)οἱ· Sc. 11: ἦ μέν (ϝ)οἱ· 20: ὣς γάρ (ϝ)οἱ·
Duo priores versus in quibusdam libris praebent variantes lectiones, quae aperte metri emendandi causa factae sunt; Th. 892: τὼς γάρ οἱ ἐφρασάτην (pro φρασάτην), Sc. 11 μήν pro μέν.

Hic nobis ea tantum exempla curae sunt, quae non e positione quadam excusationem petant. Primum igitur ea seiungenda sunt exempla, quorum productionem forsitan sequens initialis consona ϝ explicet; de quibus disseret horum studiorum pars II. Quorum numerus est triginta quattuor. Deinde quaeritur, num eadem ratione semovendae sint productiones, quae ante (σ)ἔχω exstant; quod verbum ab initiali consona σ incepisse constat. Curtius, Grundz. n:o 170. Duae sunt, Th. 746, Sc. 369. Rzach, Hesiod. Unters., pag. 24, docet spirantem consonam his locis efficacem fuisse, quemadmodum apud Homerum non pauca eius vestigia exstare iudicat. Nobis efficacem σ his locis solis e centum viginti tribus,

qui hoc verbum exhibent, inveniri non verisimile videtur [1]. Quod attinet ad priorem versum, is gemina tamquam excusatione utitur; praeeuntibus enim Homericis exemplis, et licet producere exitum -ις, de quo exitu apud Hesiodum infra, et brevem quamvis, ni fallor, syllabam finalem in consonam exeuntem ante ἔχω producere. Scuti autem conditorem iam deprehendimus vestigia Homerica ita prementem (vide supra pag. 105 n. 1), ut tutius ducam credere eum productionem Homericam imitari, quam ipsum sensisse vim initialis, quae quondam fuit, consonae. Quod quum ita sit, ego quidem huius generis productionibus addo duas, quae ante verbum ἔχω inveniuntur [2].

Tum nobis occurrunt duae productiones ante ὥς postpos., Th. 91: θεὸν ὥς, 862: κασσίτερος ὥς. Rzach, Hesiod. Unters., pag. 23 docet spirantem consonam *j* has productiones efficere; a qua consona stirpem pronom. ὁ (ja-; ὥς = jâ-t) incepisse docet Curtius, Grundz. n:o 606; confer pag. 602 [3]. Hartel, I, pag. 456, et Knös, Dig., pag. 167, locos collegerunt, et qui consona initiali indigere videntur et qui ei obstant [4]. Knös cre-

[1] Hi versus verbo ἔχω aut praemittunt elisionem aut brevem in consonam exeuntem syllabam, quam non licet producere: Th. 2, 61, 64. 72, 75, 98, 101, 114, 118, 139, 239, 262, 283, 348, 373, 413, 425, 456, 467, 517, 533, 588, 621, 623, 629, 635, 670, 755, 758, 783, 794, 804, 823, 833, 893, 896, 898, 908, 932, 963, 988 (= 41); Sc. 79, 95, 97, 105, 157, 159, 183, 199, 227, 238, 241, 247, 251, 273, 305, 306, 310 (vide pag. 106, n. 1), 339, 444 (= 19); Op. 13, 42, 44, 81, 110, 112, 128, 133, 139, 147, 170, 207, 257, 272, 340, 438, 445, 470, 532, 546, 622 (= 21); Fr. 5,4, 128,3, 140, 149,1, 188,1,2, 189,4, 194,3, 231 (= 9); quorum exemplorum summa est nonaginta. Hi autem versus longam in consonam exeuntem syllabam praemittunt: Th. 203, 422, 466, 770; Sc. 248, 352; Op. 457; quibus addo Th. 394, qui ἐξέμεν in versus initio ponit, Th. 186, 219, 462, 611, 675, 765, 906; Sc. 188, 193, 220, 292, qui ν parag. ponunt inter ἔχω et vocem praemissam; quorum versuum numerus est undeviginti. Ceteri loci exhibent formas, quae initiale σ exhibere non possint: εἶχ(ε) Sc. 214, 223, Op. 89, Fr. 33,6; εἶχον Sc. 132, 271, 285, 311; ἔσχεν Th. 608, ἔσχον Th. 113, Op. 126. Accedit σχέσθαι Fr. 38,2.

[2] Adverbio, quod est σύνεχέως, vix licet contra hanc sententiam uti. Th. 636: συνεχέως ἐμάχοντο κτλ. Credere enim licet συνεχέως, producta prima syllaba, imitari adverbium Homericum σύνεχές (Il. XII, 26, Od. IX, 74); alteram etiam petit excusationem ex ea re, quod tribus brevibus syllabis incipit. Confer ἀθάνατος, ἀκάματος, ἀπάλαμος.

[3] Meyer, Gr. Gr., § 217 docet ὡς initiali digammo, non *j*, uti.

[4] Ex his exemplorum collectionibus apparet Rzachium l. l. supra modum augere producendi vim consonae *j*, quum dicit apud Homerum correptionem ante ὥς raro obviam esse („Die Kürze vor ὥς . . . ist geradezu eine Seltenheit"); res ita se habet ut, omissis locis, qui nihil probant, e tribus partibus duae fere *j* requirant (44 vv.), una respuat (23 vv.)

dibile censet ipsum artissimum illum, quo cum praemisso vocabulo coniungatur, nexum consonam initialem alias tantum non ubique obsoletam servavisse. Neque aliter Curtius, l. l., pag. 603. Quum praeter hos duos versus ὥς postpos. non inveniatur in Th., difficile est diiudicatu, utrum verisimilius sit eos Homerum imitari an *j* efficacem fuisse. E quattuor locis, quas exhibet Sc., tres, elisione aut brevi syllaba in consonam exeunte praemissa, initialem consonam abnuunt, 60, 72, 166, quartus, 426, praemittit longam syllabam in consonam desinentem.

Quod Rzach, l. l., etiam vestigium consonae initialis cernit in productione, quam praebet Th. 334: γείνατο δεινὸν ὄφιν, ὃς ἐρεμνῆς κτλ, id valde dubium videtur, quum ne apud Homerum quidem praeter in ὥς postpos. certa consonae initialis vestigia nobis occurrant. Knös, Dig., pag. 169. De exitu -ιν infra.

Ceterarum productionum causam non in excipienti consona initiali positam esse apparet. Videndum est igitur, num ipsae syllabae finales productae explicandi rationem praebeant.

Seiunctis igitur productionibus, quas forsitan exceperit initiale digamma aut *j* in partic. ὥς postpos., hae, quae sequuntur, terminationes thesin occupant, voce sequenti a vocali incipiente: -αν semel, -εν quinquies, -ιν bis, -ις quater, -ον semel, -ος septies.

-αν [1]. Op. 651: εἰ μὴ ἐς Εὔβοιαν ἐξ Αὐλίδος, ᾗ ποτ' Ἀχαιοί.

Apud Homerum imprimis tert. pers. verbi plur. num., in -αν exiens, thesin occupat; exemplorum numerus est tredecim, quorum octo in interpunctione. Hartel, I pag. 448, 454. Haec terminatio doctis viris visa est antiquitatis vestigium; statuunt enim hic nobis occurrere formam, quae inter priscum exitum -ντ et posteriorem -αν media sit, -ανν quae fuit: ἔφανν. Curtius, Verb. I, pag. 73; Hartel, I, pag. 455. Bis tantum Homerus in thesi, quam excipit vocalis, ponit brevem nominum exitum

[1] Quod ad terminationes in -ν exeuntes attinet, apparet rationem habendam esse liquidae huius consonae naturae; de qua pag. 97 verba fecimus; cuius scilicet eo magis etiam ratio hic habenda est, quum nulla inter vocalem et consonam intercedere possit vocis intermissio. Renner, *(De dialecto antiquioris Graecorum poesis elegiacae et iambicae.* Curtii Stud., I, 2.) pag. 35, de terminatione infinitivi -εν in thesi ante vocalem posita disserens, „Accedit“, inquit, „quod ν in earum consonantium genere habetur, quae *durantes* vocantur, itaque maxime idonea est, quae productionis excusationem praebeat“.

-αν, Il. II, 841: τῶν οἳ Λάρισαν ἐριβώλακα ναιετάασκον (in navium catalogo), et Od. VIII, 54: πάντα κατὰ μοῖραν, ἀνά θ' ἱστία λευκὰ πέτασσαν. Quas productiones credere licet imitari eam, quae fit in verborum simili terminatione.

Quae de his Homericis locis disputantur valent etiam de nostro loco [1].

-εν. Hic exitus producitur:

Th. 480: Κρήτῃ ἐν εὐρείῃ τραφέμεν ἀτιταλλέμεναί τε.
Sc. 231: ἱέμεναι μαπέεν. ἐπὶ δὲ χλωροῦ ἀδάμαντος·
252: αἷμα μέλαν πιέειν· ὃν δὲ πρῶτον μεμάποιεν·
304: ἱέμενοι μαπέεν, οἱ δ' ἱέμενοι ὑπαλύξαι·
337: οὔθ' ἵππους ἐλέειν οὔτε κλυτὰ τεύχεα τοῖο.

Primum de Th. versu disputemus. Eiusmodi infinitivus apud Homerum in thesi, sequente vocali initiali, ponit syllabam finalem

Il. VII, 418: ἀμφότερον, νέκυάς τ' ἀγέμεν, ἕτεροι δὲ μεθ' ὕλην·

Confer Il. II, 228. Spitzner, l. l. pag. 41, in versu nostro potius scribendum esse τραφέμεν τ' ἀτιταλλέμεναί τε, quam productionem ferendam docet, — id, quod iam, teste Rzachio aliisque, suasit Winterton —. Quod etiam Paley in editione sua excudit. Sed vereor, ne errent [2]. Nam hoc loco alterum membrum, ἀτιταλλέμεναι, prioris membri augendi causa ponitur, ut utrumque eandem rem significet [3]. Constat epici sermonis usum non abhorrere ab hoc modo iungendi sententias. Vide Kühnerum, l. l., II, pag. 786.

---

[1] Paley sub versu 646 dubitanter coniecit: εἰ μή γ' εἰς Εὔβοιαν ἀπ' Αὐλίδος κτλ. G. Meyer, Gr. Gr., § 51, c. Anm. monet, ne quis credat Εὔβοιᾱν in versu nostro antiquitatis esse vestigium. De Op. v. 443: ἰθεῖαν αὔλακα vide Rzachii appar. crit.

Mangold, (*De diectasi Homerica.* Curtii Stud. VI, pag. 174) docet nullam esse causam, cur productam ultimam syllabam esse putemus infinitivorum in -ααν exeuntium. Si iure id contendit, accedit e Th. unum productionis exemplum huc pertinens:

v. 491: τιμῆς ἐξελάαν, ὁ δ' ἐν ἀθανάτοισι(ν) ἀνάξειν.

[2] Si scriptum umquam fuisset τ', vix excidisset. Quo enim crebriores nobis occurrunt particulae τε, δέ, γε, metri causa additae, eo minus est credibile eas e locis excidisse, ubi metrum earum fulcimine indigere videtur.

[3] Conferre licet Homericum illud,

Il. I, 57: οἳ δ' ἐπεὶ οὖν ἤγερθεν ὁμηγερέες τ' ἐγένοντο·

ubi posterius membrum, prius quodam modo circumscribens eiusque sententiam tamquam intendens, priori particula τε conectitur. At si ita statuimus τραφέμεν et ἀτιταλλέμεναι differre, ut alterum ad bonos mores instituendos, alterum ad corpus alendum spectet, licet, opinor, τε inserere. Ut aptum a La Rochio τε restitutum esse Od. IX, 207: ἀλλ' αὐτὸς τ' ἄλοχός τε φίλη etc. iudico.

Quod attinet ad versus e Sc. petitos, ceteri editores exarant formas ἐλέειν, μαπέειν, πιέειν. Sine codicum auctoritate Rzach exaravit formas in -εν exeuntes. Formas, quae in -έειν exeunt, ni fallor, rerum grammaticarum scriptores magno consensu damnant. G. Meyer, Gr. Gr. § 595 c. Sed quaerere licet, ecquid praeter codicum scripturam sit, quod defendat formas, quas praebet Sc. in -έειν exeuntes.

Praeter has formas Rz. exhibet duas eiusdem generis, Sc. v. 240: πραθέεν, quo in quinta, 332: λιπέεν, quae syllabam finalem in quarta thesi ponit, sequenti voce a consona incipiente. Neque Th., neque Op. has formas agnoscunt.

E sex igitur formis quattuor in thesi ante vocem a vocali incipientem collocant brevem syllabam finalem in consonam exeuntem. Quod iure mirum dico, quum raro omnino fiat ut brevis syllaba positione non producta thesin occupet. Apud Homerum e centum duobus exemplis quattuordecim tantum ante vocalem ponunt syllabam finalem (Renner, l. l.), i. e. octavum fere quodque; quae longe alia est ratio quam quae in Sc. intercedit inter sex et quattuor.

Si in comparationem vocatis ceteris formis eiusdem metricae figurae quaerimus, utrum ante voces a consonis incipientes, an ante eas, quae vocali initiali utuntur, collocari soleant, fortasse aliquid adiumenti nobis parabimus, quo freti certius diiudicare possimus, utra formandi ratione usus sit hic infinitivus apud utrumque poetam. Itaque si statuimus apud Homerum hunc infinitivum usum esse exitu -ειν, quaeritur, num ad eandem rationem ceterae eiusdem schematis voces, i. e. quae anapaestica forma utuntur, aut in anapaestum desinunt [1], ante consonas initiales ponantur. Eius figurae voces exhibet Il. I, quod carmen perscrutatus sum, nonaginta tres, quarum quinquaginta, i. e. plus dimidiam partem excipit vocalis initialis, quadraginta tres consona. Quod quum ita sit, mirum sane dicerem, si e centum duobus Homericorum carminum infinitivis eiusdem metricae figurae, quattuordecim tantum ante vocales initiales positi essent. Quare ipsa haec res ostendere videtur hos infinitivos non in -ειν exiisse.

---

[1] Renner, l. l. pag. 32, an. 5) enumerat omnes, qui huc pertinent, infinitivos Homericos; unde apparet eos, assumpto exitu -ειν, omnes anapaestica forma indutos esse aut in anapaestum desinere.

Eos autem in -εν desiisse veri similius etiam fit, comparatis vocibus, quae tribrachum exhibent aut in ternas breves exeunt. Eius modi enim formas Il. I septuagies quater ante consonas initiales collocat, sexies (vv. 85, 153, 226, 244, 491, 535) ante vocales. Unde elucet hanc numerorum rationem longe propius accedere ad eum, quae est inter infinitivos ante consonas positos et eos, qui ante vocales collocati sunt. Quare iudicamus rem metricam ipsam, si non evincere, at verisimillimum reddere hos infinitivos in -εν apud Homerum exiisse [1].

Transeamus ad Scutum. Secundum Rzachium e sex in -εν exeuntibus infinitivis quattuor ante vocales ponuntur. Collatis ceteris, quae in Sc. exstant, eiusdem metricae figurae (◡◡◡, – ◡◡◡ etc.) vocibus, invenimus consonam initialem excipere octoginta unam, vocalem duas (vv. 341, 369). Quos numeros valde inter se pugnare videmus. At quae intercedit ratio inter Sc. infinitivos, longe propius accedit ad eam, quam exhibent voces anapaesticae. Quarum in Sc. quadraginta duae ante vocalem, sexaginta quattuor ante consonam initialem collocatae sunt. Negare igitur non licet ipsam rem metricam quodam modo defendere traditas formas; quamquam apparet ex ea nulla certa argumenta peti posse [2].

---

[1] His numeris rationem, quae inter harum figurarum voces intercedit, exponere licet: collocantur

ex Il. I vocibus anapaesticis (93)	ante consonas	50 = 53,8,	ante vocales	43 = 46,8;
ex infinitivis Homer. huc pertinentibus (102)	„ „	88 = 86,3,	„ „	14 = 13,7;
ex vocibus in ternas breves exeuntibus (80)	„ „	74 = 92,5,	„ „	6 = 7,5.

[2] In Sc. igitur secundum libros collocantur

ex infinitivis huc pertinentibus (6)	ante consonas	2 = 33,3,	ante vocales	4 = 66,7;
e vocibus anapaesticis (106)	„ „	64 = 60,4,	„ „	42 = 39,6;
e „ in ternas breves exeuntibus (83)	„ „	81 = 97,6,	„ „	2 = 2,4.

Unde apparet, quod ad collocationem attinet, infinitivos magis ab iis, quae in ternas breves exeunt, abhorrere, quam ut credere liceat eos simili exitu usos esse. Afferre licet etiam aliam rem metricam traditas formas in Sc., ut videtur, tuentem, quae tamen longe minoris est momenti. Si quid e Sc. conicere licet, maior pars vocum anapaesticarum quam quae in ternas breves exeunt, semiquinariae praemittuntur. Ex illis enim dimidia pars finem in tertia thesi ponunt (in II thesi 19, in III, 54, in IV, 16, in V, 17), ex his ne tertia quidem pars (in II thesi 23, in III, 24, in IV, 17, in V, 17, in VI, 2). Videtur sane admodum placere vocibus anapaesticis finem in tertia thesi ponere. Ex hac tamen re vix licere quidquam concludere ostendit id, quod in Il. I prorsus contrario modo vocum, ternis brevibus usarum, dimidia pars in semiquinaria finem ponunt, e nonaginta tribus vocibus anapaesticis triginta quinque in ea sede desinunt.

Statuunt viri docti, qui de horum infinitivorum formandi ratione disputaverunt, eos in carminum Homericorum prisca scriptura in -εν (ΕΛΕΕΝ) desiisse, unde τοὺς μεταχαρακτηρίζοντας fecisse -ειν (ἐλέειν), „qui nec rationem formae veram intellegerent, et vetustioris alphabeti signum quod esset E vel per simplex E vel per EI reddere possent" [1]. Quo tempore conditum sit Sc., adhuc non exploratum est; sed sive magis, sive minus prope ad Atticarum litterarum aetatem hoc carmen accedere credimus, vix quidquam obstat, quominus iam tum formas Homericas sibi assumpsisse exitum -ειν statuamus; ut hi infinitivi in Sc. imitentur falsam Homericam formam. Nescio an ex his ipsis formis concludere liceat Sc. carmen conditum esse, quum iam lingua Homerica transcribentium opera eandem, quam hodie servant libri manu scripti, formam nacta esset.

Licet igitur dubitare, num Sc. vv. 231, 252, 304, 337 comprehendantur eorum locorum numero, qui brevem syllabam in consonam exeuntem neque positione productam in thesi collocant [2].

-ιν, -ις. Hartel, I, pag. 449, ostendit has terminationes ab origine longa quantitate usas esse, quam, syllabis sub ictu positis [3], interdum patefieri. Exempla Hesiodea syllabae -ιν in thesi ante vocalem positae haec sunt:

Th. 334: γείνατο δεινὸν ὄφιν [4], ὃς ἐρεμνῆς κεύθεσι γαίης·
503: οἵ οἱ ἀπεμνήσαντο χάριν [5] εὐεργεσιάων.

---

[1] Renner, l. l. pag. 35; Curtius, Verbum, II, pag. 129; Rzach, *Der Dialekt des Hesiodus (Besonderer Abdr. aus d. achten Supplem.-bde der Jahrb. f. class. Philol.), Leipzig, 1876,* pag. 441.

[2] Ni fallor, quo iure Scuto, eodem Apollonio Rhodio tribuuntur formae in -εν exeuntes; quamquam hic poeta etiam alias voces exitu -ειν pro -εν instruxisse videtur, ut σκιόειν II, 404, δακρυόειν IV, 1291. Ex undeviginti enim infinitivis, qui huc pertinent, quinque tantum ante vocales excipientes poni docet Rz., *Grammat. Studien zu Apollonios Rhodios. Wien 1878.* pag. 138. Animadvertendum est Rzachium in editione sua carminum Homericorum formas in -ειν exeuntes excudere. (Il. IV, 263, X, 368).

[3] -ιν bis longam quartam arsin ante vocalem occupat, Il. X, 292, Od. III, 382 in eodem versu: σοὶ δ' αὖ ἐγὼ ῥέξω βοῦν ἦνιν εὐρυμέτωπον· (ἦνιν?)
semel -ις, Il. XI, 36: τῇ δ' ἐπὶ μὲν Γοργὼ βλοσυρῶπις ἐστεφάνωτο (βλοσυρῶπις?).

[4] Non licere syllabam finalem productam vocis ὄφιν explicare e consona initiali, quae quondam fuit, vocis ὃς vidimus pag. 109.

[5] χάριν semel apud Homerum finalem syllabam in IV thesi ante vocalem collocat,
Il, V, 874: ἀλλήλων ἰότητι, χάριν ἄνδρεσσι φέροντες.
Ubi tamen quidam editores (inter quos Rz.), Aristarchum et meliores codices sequentes, post χάριν inserunt δ'; quod nescio an sit legendum. Op. 65 χάριν efficit primi, 709 quarti dactyli arsin.

Non pauca exempla Homerica sunt, quae accusandi casus exitum -ιν in thesi ante vocalem ponant [1]; ut non desint, quae sequi potuerint productiones hae Hesiodeae.

Tres versus, vocem πάϊς exhibentes, exitum primi casus -ις in thesi ante vocalem initialem collocant:

Th. 178: πάντῃ· ὁ δ' ἐκ λοχεοῖο πάϊς ὠρέξατο χειρί·

Th. 746: Τῶν πρόσθ' Ἰαπετοῖο πάϊς ἔχει οὐρανὸν εὐρύν·

Op. 376: Μουνογενὴς δὲ πάϊς εἴη πατρώιον οἶκον.

In quartam thesin ante vocalem exit haec vox Il. XXII, 492, 499 (Hartel mendo typoth. 494); Od. IV, 32 (h. l. πάϊς ὥς) [2]. Productam huius vocis quantitatem suo modo explicat Rzach, Dial., pag. 386. Th. 746 verbi ἔχει initialem consonam σ non efficere productionem pag. 107 ostendere conati sumus. De Paleyi vocum transpositione: πάϊς (ϝ)οἶκον πατρώιον εἴη in parte, quae in quaestione de digammo Hesiodeo versabitur, agendum erit.

Op. 596 incipit ab his: τρὶς ὕδατος. De adverbiis, quae in -ις exeuntes eam syllabam in thesi ponunt, vocali excipiente, disserit Hartel, I, pag. 450 [3].

-ον. Sc. 341: σμερδαλέον ἵπποισιν· [4]

Qui tuentur v. 340 (K.-K., Rz.), hanc lectionem exarant, qui autem v. 340 (vel 339, 340) spurium esse ducunt, ut σμερδαλέον-ἐκέκλετο de dea dictum sit, codices plurimos secuti, θ' inserunt post σμερδαλέον (Paley, G.-Fl.). Hermanno (Opuscula, VI, pag. 215) non assentior necessario offendere productionem: σμερδαλέον ἵπποισιν. Similia apud Homerum exstant multa.

---

[1] Huc ex Hartelio aliisque congessi exempla Homerica, uncis incluso thesis, quam occupant, numero: Il. I, 19 (IV), II, 169 (V), 329, (III). 407 (V), 636 (V), VI 495 (II), VII, 31 (III), 47 (V), 164 (IV), VIII, 262 (IV), X, 137 (V), XI, 200 (V), XVI, 57 (IV), XVIII, 157 (IV), XXIII, 313 (IV); Od. III, 72 (III), IV, 137 (IV), IX, 253 (III), X, 524 (IV), XI, 32 (IV), [XXIV, 354 (III)]; quorum exemplorum tria tantum in interpunctione posita sunt.

[2] Alia exempla Homerica sunt: Il. IV, 440 (IV), VI, 152 (II), 299 (II), [IX, 323 (II)], XI, 711, (IV), XIV, 423 (III), XVI, 69, (IV); ter accedit interpunctio (Hartel, I, pag. 448, omisit IV, 440).

[3] Exempla sunt Il. XVII, 54 (IV), XXI, 236, 344 (IV), XXII, 412 (IV; ante ἔχον); Od. VII, 295 (IV).

[4] Jam pag. 108 disputavimus de Th. 91, qui versus producit ante ὥς postpos.

Hartel, I, pag. 447. Quamquam facile concedo Hermannum, versum Homericum Il. XIX, 399:

σμερδαλέον δ' ἵπποισιν ἐκέκλετο πατρὸς ἑοῖο

allegantem, vehementissimum attulisse argumentum, quo niti possint, qui contextui θ' vindicare conantur. Sed durius est remedium, ut hoc θ', quod codicum consensus non defendit, servetur, unum vel duos versus resecare, qui non ipsi se testantur spurios esse [1].

-ος [2]. Restant septem versus, qui terminationem hanc in thesi ante vocalem ponunt:

Th. 652: ἐς φάος ἄψ ἀφίκεσθε δυσηλεγέος ἀπὸ δεσμοῦ.
Sc. 369: τῷ ἐπιπειθόμενος ἐχέμεν (ϝ)ἐρυσάρματας ἵππους. Confer pag. 107.
Op. 89: αὐτὰρ ὃ δεξάμενος, ὅτε δὴ κακὸν εἶχ', ἐνόησε.
577: ὄρθρου ἀνιστάμενος, ἵνα τοι βίος ἄρκιος εἴη.
Fr. 135,4: Τοξεύς τ' ἀντίθεος, ἠδ' Ἴφιτος ὄζος Ἄρηος·
142,3: εὑράμενος ἵλεων μίχθη ἐρατῇ φιλότητι.

Has omnes productiones exstantes in syllabis finalibus vocum, quae in ternas breves syllabas exeunt, ut in thesi desinant necesse sit, inde magnam petere producendi causam apparet. At aliter se habet Op. 430:

εὖτ' ἂν Ἀθηναίης δμῶος ἐν ἐλύματι πήξας.

δμῶος enim vox, trochaica forma usa, quo facilius in metrum cadit, eo magis movet admirationem nostram, quod metrum violat [3]. Homerus

---

ως
[1] Hermann, l. l., allegans codicem Mediceum, in quo exstat σμερδαλέην, persuadet σμερδαλέως scribendum esse, „obgleich dieses Adverbium sonst wohl nicht vorkommt". Utraque forma, σμερδαλέην et σμερδαλέως, mihi videtur esse coniectura facta ut metro satisfaceret; σμερδαλέως adverbium credo fictum esse ad similitudinem eorum, quae in -ως exeunt; fortasse ἐσσυμένως, quod est in fronte versus antecedentis, proxima est causa; σμερδαλέην autem nescio an sequatur ea adverbia, quae in -(δ)ην exeunt, ut συναΐγδην Sc. 189, ἐπιστολάδην, Sc. 287, προβάδην Op. 729, aliaque (?). Confer Rzachium, Hesiod. Unters. pag. 27.

[2] Est ratio habenda consonae -ς naturae. Schmidt, l. l., pag. 69, „s ist", inquit, „der einzige wahre Dauerlaut der Sprache".

[3] Quae Rzach, Hesiod. Unters., pag. 27, de metrica quadam necessitate producendi in hoc versu dicit, non probo. Ego quidem duco metrica necessitate laborare ea tantum verba, quorum forma postulet ut certam versus aut pedum sedem occupent. Si figurarum vocum, quae huius productionis exempla exhibent, rationem habemus, apparet δμῶος solam trochaica forma uti. Accedit altera, quae in trochaeum exit (Εὔβοιαν). Una est monosyllaba, quinque exempla in pyrrhichiis exstant, voces ternis brevibus usas aut in ternas breves exeuntes tredecim exempla praebent.

non raro — rationem non habui locorum, ubi vox excipiens olim fortasse incepit a consona — in thesi ante vocalem initialem ponit ille quidem, ut omnino exitum vocum, quae trochaica forma utuntur, ita etiam earum, quae in -ος desinunt. Vide Hartelium, I, pag. 461; qui conatus est omnia fere explicare e prisca quadam syllabarum ancipiti natura [1]. Quamquam igitur non desunt exempla Homerica, quae imitari potuerit hic versus Hesiodeus, — inter quae imprimis annotandus est Od. XI, 190:

ἀλλ' ὅ γε χεῖμα μὲν εὗδει, ὅθι δμῶες ἐνὶ οἴκῳ —

miror quod emendatores, tam saepe ansam emendandi captantes, intactum reliquerunt hunc versum. Mihi quidem adeo arridet iubere verba locum mutare, ut vix me retineam, quin scribendum esse statuam:

εὖτ' ἂν δμῶος Ἀθηναίης ἐν ἐλύματι πήξας [2] —.

Ex his columnis apparebit, quas versuum sedes occupent hae productiones. Seiunctae sunt eae, quas e sequenti consona initiali, postmodum exstincta, explicandas esse non est incredibile (i. e. quae ante ϝ et ἰώς sunt. Productiones praebet

thesis	I					II					III					IV					V					Productionum summa				
in	Th.	Sc.	Op.	Fr.	S:a	Th.	Sc.	Op.	Fr.	S:a	Th.	Sc.	Op.	Fr.	S:a	Th.	Sc.	Op.	Fr.	S:a	Th.	Sc.	Op.	Fr.	S:a	Th.	Sc.	Op.	Fr.	S:a
	—	—	1	—	1	—	1	—	1	2	2	5	4	1	12	4	—	1	—	5	1	—	—	—	1	7	6	6	2	21

Sexta thesis nullum exemplum praebet. Dimidia fere pars (12 e 21) syllabae producendae elegit tertiam thesin, excipiente caesura semiquinaria. Quare iure videntur rerum metricarum scriptores statuere caesuram huic productioni favere. Si vero caesura per se ipsa favet productioni, apparet eam interpunctione auctam magis etiam ei favere. Quod quum ita sit, exspec-

[1] Sunt fortasse etiam loci, qui alio modo excusentur: ut hoc versus initium, quod ter nobis occurrit: οὐχ οἷος, ἅμα κτλ. Il. II, 745, Od. II, 11, XV, 100; quod fortasse excusatur simili initio, sed metro melius consulente, quod est: οὐχ οἴη, ἅμα κτλ.; Il. III, 143 etc., quum constet poetam invitum a formulis solemnibus recessisse.

[2] Apparet hanc vocum transpositionem caesuram tertii pedis tollere. Sed duco potius caesuram neglectam ferendam esse quam productionem syllabae -ος in δμῶος. Versum, sive tradita forma utitur, sive mutata, primariam incisionem exhibere semiseptenariam apparet. De tertii pedis caesura neglecta vide pag. 43, sqq.

tare licet, ut caesurae infirmiores imprimis interpunctionis augmentum sibi assumant. Sed ita non est. Praeter enim Op. 430:
εὖτ' ἂν Ἀθηναίης δμῶος ἐν ἐλύματι πήξας (interpungunt G.-Fl., alii) nulla productio nititur vocis intermissione, praeter eas, quae in tertia thesi sunt positae; quarum septem apposita interpunctione firmat Rzach: Th. 334, Sc. 231, 252, 304, Op. 89, 577, Fr. 135,4. Accedunt Sc. 337, 369, quibus in versibus post productionem intermissio quaedam observatur.

Concedo tam parvos esse harum productionum numeros, ut maxima cautio sit adhibenda, si quid ex iis collegere studeamus. At non possum non proferre has productiones crebriores nobis occurrere in Sc. quam in Th. aut Op. Contrarium exspectares in hoc carmine, posteriore tempore scripto, quum, ni fallor, usque ab Homeri temporibus ad poetas Alexandrinos, qui vocantur, rariores semper fiant. Certum est apud Apollonium Rhodium, quem imprimis accedere ad epicae linguae usum constat, duplo rariores exstare productiones. Nam nisi hoc illudve exemplum me fefellit — e Rzachii Neue Beitr. etc. exempla collegere conatus sum — poeta ille in 5035 versus distribuit triginta tria productionis exempla, i. e. centesimo octogesimo fere cuique singulas productiones tribuit [1]. Haec quum ita se habeant, augent dubitationes meas de exitu illo infinitivorum -εν. Vide pag. 111, sqq.; neque huius producendi generis exempla ita Homericis exemplaribus se adiungunt, quemadmodum prioris generis vidimus productiones, pag. 105, n. 1.

Cap. VII.

De quarundam vocalium quantitate variata.

Primo loco annotanda sunt tria verba, quae ex α privativo, quod dicitur, iuncta primam syllabam metrica necessitate producunt: ἀθάνατος, ἀκάματος, ἀπάλαμος [2].

---

[1] Omitto scilicet exempla qualia sunt γάρ οἱ, etc., quae in tradita verborum coniunctione exstant; quae imitantur productiones Homericas, quae exstant ante digamma.

[2] Homerus non agnoscit ἀπάλαμος; at praeter ἀθάνατος et ἀκάματος eiusdem generis verbum exhibet ἀνέφελος Od. VI, 45, ubi meliorum librorum scribendi modus: ἀννέφελος (La Roche, l. l., pag. 57) tamquam subicit oculis ipsam appellandi rationem.

ἀθάνατος. Haec vox praebet formas: ἀθάνατος Th. 305; ἀθανάτου Th. 191; ἀθανάτοιο Th. 262; ἀθάνατον Th. 524, 942, 949; ἀθάνατοι Th. 272, 277, 624, Op. 110, 250, 253, 290, Fr. 192,2; ἀθάναται Th. 968, 1020; ἀθανάτων Th. 21, 43, 57, 67, 105, 118, 302, 681, 794, 804, 849, 885, 939, Sc. 201, 205, Op. 16, 169, 199, 668, 706, 736, Fr. 214,2; ἀθανάτοις Th. 74, 373, 415; ἀθανάτοισι(ν) Th. 120, 204, 296, 394, 407, 449, 462, 491, 506, 556, 657, 743, 766, 775, 782, 837, 842, 954, Sc. 182, 366, Op. 309, 336, 725, 827, Fr. 216,2; ἀθανάτῃς Sc. 339, Op. 62 [1]; ἀθανάτους Th. 285, 391, 588, Sc. 79, Op. 135.

ἀκάματος. Hae formae nobis occurrunt: ἀκάματος Th. 39; ἀκαμάτοιο Th. 563, 566; ἀκάματον Fr. 5,3; ἀκάματοι Th. 824; ἀκαμάτῃσι Th. 519, 747.

ἀπάλαμος. Forma ἀπάλαμον exstat Op. 20. De hac forma confer pag. 58, n. 1.

Productionibus, quarum supra mentio facta est, vidimus alias theses magis, alias minus favere. Has vero, quum neque caesura neque interpunctio accedere possit, apparet in sedibus elegendis uni ei rei studere, ne violent caesurarum leges. Quare ex his productionibus cur nulla exstet in tertia thesi, apparet [2].

---

[1] In his versibus codices alii aliam formam praebent: -αις, ῃσι (-οις).

[2] Invenimus formas usas hac figura: ⏑̄ ⏑ ⏑ — ⏑ (ἀθανάτοιο, ἀθανάτοισι, ἀκαμάτοιο, ἀκαμάτῃσι praecipuam productioni sedem elegere quartam thesin, in qua primam syllabam producendam collocant decies sexies, in vocum coniunctionibus, quales sunt ἀθανάτοισι θεοῖσι (octies) aliisque; septies in quinta thesi, sexies in secunda ponitur productio; unus versus ab ἀθανάτοισι incipit, Fr. 216,2:

ἀθανάτοισι θεοῖσι καταθνητοῖς τ' ἀνθρώποις (de huius versus clausula recte scribenda confer pag. 70, n. 1).

E ceteris, quae restant, formis quinquaginta una hac figura usis: ⏑̄ ⏑ ⏑ ⏑̄, nulla in quinta thesi ponit productionem, ne versus in monosyllabam vocem exeat. In theses, quas, non violata caesurarum lege, occupare possunt productiones, ita dividuntur ut prima et secunda exhibeant vicenas ternas, quarta quinque. Id tamen interest inter formas, quae ultimam syllabam in secunda, et quae in tertia thesi ponunt, ut hanc praecipue occupent graviores exitus (-ων, -ῃς, -ους), quum leviores terminationes (-ος etc.) imprimis sibi elegant secundam. E gravioribus enim exitibus, quorum numerus est triginta duo, duodeviginti in caesura semiquinaria positi sunt, duodecim in semiternaria, duo qui restant in seminovenaria, ex undeviginti levioribus in semiternaria collocantur undecim, in semiquinaria quinque, in seminovenaria tres. Nescio an caesura, exipiens graviorem exitum, insignior reddatur.

Accedunt duo exempla productae vocalis α privativae. Utrumque explicare licet e productione, quam digammo effici posse mox exemplis demonstratum videbimus.[1] Unum est Sc. 310: ἀΐδιον (ἀϝίδιον); lectionem addubitatam esse ostendimus pag. 106, n. 1. Alterum est Ἄϊδος, Sc. 151:

---

[1] Licet h. l. a re discedere. Mihi enim, observanti graviores exitus saepius occupare tertiam quam secundam thesin, in mentem venit id, quod docet Hartel, I, pag. 445, caesuras in thesi positas quamvis consonarum congeriem ferre, Homerum autem curam dedisse ne, accedente interpunctione, cumulatis consonis difficilior etiam fieret appellatio. „Wenn aber Interpunction hinzutritt, ist die Neigung vorhanden, die Umgebung möglichst zu erleichtern". Supra ostendere conatus sum intercedens intervallum et correptioni favere et productioni obstare; sequitur ut veri similius videatur, quo minor sit vocis intermissio, eo maiore cura poetam fugere consonarum congeriem. Quare, quum haec res latius pateat quam ut ei tribuatur disputatio ab omni parte perfecta, unum elegi, quod examinetur, scilicet num in thesibus versuum eadem sit ratio inter syllabas finales graviores, quas dico (i. e. quae aut in binas consonas exeunt: ἄναξ, Κήϋξ, Νύξ, παρέξ, Στύξ — monosyllabas enim finalibus syllabis aequo —, aut in singulas, praemissa longa vocali aut diphthongo), quas excipit vocalis et quas consona. Eam ob rem elegi has syllabas, quod earum, ut thesin occupent, non intersit, utrum a consona an a vocali incipiat vox excipiens; quare, si quid hoc nomine inter theses intersit, id videtur petendum esse e caesurarum dissimilitudine. Quattuor tantum theses elegi, secundam, tertiam, quartam, quintam, quod primaria et semiundenaria caesurae tam sunt rarae tamque parvi versui momenti, ut ex iis nihil concludere debeamus. Sed si, quo infirmior est caesura, eo magis fugit poeta consonas congerere, quo autem firmior, eo crebriores sunt consonarum accumulationes, apparet non esse, cur verisimile ducamus poetam in interpunctionibus a congerendis consonis abstinuisse, quum interpunctio nihil sit nisi aucta caesura. Carmina Hesiodea quidem non probant id, quod docuit Hartel; quod hae tabellae ostendunt; graviore enim syllaba finali praemissa,

in	II thesi				III				IV				V				omnium ex:plorum summa			
excipiens incipit a	vocali		consona		vocali		consona		vocali		consona		vocali		consona		vocali		consona	
in Th.	48	31,8	103	68,2	60	29,7	142	70,3	70	44,9	86	55,1	30	54,5	25	45,5	208	36,9	356	63,1
Sc.	29	48,3	31	51,7	35	32,4	73	67,6	34	54,8	28	45,2	13	40,6	19	59,4	111	42,4	151	57,6
Op.	42	42,9	56	57,1	66	36,9	113	63,1	71	48,0	77	52,0	24	48,0	26	52,0	203	42,7	272	57,3
	119	38,5	190	61,5	161	32,9	328	67,1	175	47,8	191	52,2	67	48,9	70	51,1	522	40,1	779	59,9

Ex his columnis apparet praecipue principalem caesuram, semiquinariam, inter consonas poni solere. Quod casu non factum esse ostendit id, quod, licet etiam hoc nomine inter se differant carmina Hesiodea, in hac una re consentiunt, quod pro ratione exemplorum saepius in tertia thesi quam in ceteris consonas congerunt. Quare hi numeri comprobant id, quod suspicatus sum, aliquid falsi inesse verbis Hartelianis. Hartel scilicet non omnia exempla examinavit. Ei curae fuerunt ea sola, quae interpunctionem exhibent. Ni fallor in ea re deliquit, quod non consideravit, quoties pron. rel. ὅς, particula εἴ, aliaque eiusdem generis, interpunctionem excipiant. Quae eius rationem everterunt. Sed apparet in casu, non in poetae studio positum esse id, quod in eiusmodi interpunctionibus consonae non congestae sunt.

τῶν καὶ ψυχαὶ μὲν χθόνα δύνουσ' Ἄϊδος εἴσω.

Homerus eodem modo producit in iunctis verbis Ἄϊδος εἴσω et Il. XX, 336 in clausula: Ἄϊδος εἰσαφίκηαι. Vide de hac productione Hartelium, III, pag. 27. Ἄϊδος, consona excipiente, nobis occurrit Sc. 227 (Ἄϊδος κυνέη) et 254 (Ἄϊδόσδε).

Ceterae omnes voces, quae ex α priv. iunctae sunt, praeter eas, in quibus binae consonae α excipiunt, hanc litteram corripiunt [1].

ἀμάω. In secunda thesi producitur α initiale Op. 392: ἀμάειν· 480: ἀμήσεις; in quinta thesi Fr. 198,1: ἀμήσειεν. Brevis est α in his formis, qui versus claudunt: ἀμῶνται Th. 599, ἀμᾶσθαι Op. 775, ἀμᾶται Op. 778 [2].

ἀνήρ. Quemadmodum apud Homerum, ita apud Hesiodum longa α utuntur formae trisyllabae, syncopen non passae. Exempla sunt haec: ἀνέρι Sc. 48, Op. 326, 559, 813; ἀνέρ(α) Th. 369, Op. 192, 364, 494, 751, 754; ἀνέρες Th. 197, 432, Op. 303, Fr. III, 5 G.-Fl. [3].

Prioris autem casus forma ἀνήρ modo corripit, modo producit α. Correptionis exempla sedecim sunt [4], productionis exempla tria: Sc. 408, Op. 297, Fr. 190,1; quae omnia versum claudunt. Productio admodum est mira, quum nulla accedat metrica necessitas [5].

---

[1] Nisi hic illeve locus me fefellit, centies vicies septies corripitur α privat., quas correptiones exhibent septuaginta voces. Productiones autem ante binas excipientes consonas inveniuntur quadraginta septem, quas praebent viginti septem voces.

[2] Neque aliter apud Homerum vacillat huius vocalis quantitas.

At eiusdem stirpis vox ἄμητος, ἀμήτου, quae in secunda thesi ponit α Op. 384, 575, ubique, ni fallor, producit. Il. XIX, 223 ab hac voce incipit. ἀμητήρ a secunda thesi incipit Il. XI, 67. Homerus praeter hos locos non agnoscit haec verba.

[3] Ex his productionibus quinque ponunt α in prima thesi, sex in quarta, tres in quinta.

Formae syncopatae longe crebriores sunt: ἀνδρός nobis occurrit Op. 240, 285, 451; ἀνδρί Sc. 55, 274, Op. 302, 370, 680, 717; ἄνδρα Th. 987, Op. 271, 317, 500, 704; ἄνδρες Th. 95, 435, Sc. 238, 245, 272, 303, Op. 3, 220, 308, 586, Fr. 156,3; ἀνδρῶν Th. 47, 220, 457, 468, 542, 643, 838, 897, 923, 935, Sc. 19, 27, 103, 148, 196, 270, Op. 59, 159, 527; Fr. 97,2, 100,3, 107, 109,1, 183,2; ἀνδράσι(ν) Th. 512, 592, 887, 967, 1019, Sc. 29, 351, 388, 400, Op. 19, 56, 82, 92, 175, 230, Fr. 157,1; ἄνδρεσσι Th. 600, Op. 484, 638; ἄνδρας Th. 347, Op. 318, 372, 666, Fr. 100,5. Ex his formis trochaicae omnes in thesi ponunt priorem syllabam, praeter quod ἄνδρες bis (Op. 308, Fr. 156,3), ἄνδρας bis (Op. 318, Fr. 100,5) in arsi eam collocant.

[4] Sc. 42, 129, 214, Op. 265, 357, 411, 413, 447, 455, 478, 495, 498, 605, 702, 713, 731.

[5] Homerus bis tantum hanc formam producit,

Il. XII, 382: χείρεσσ' ἀμφοτέρῃς ἔχοι ἀνήρ, οὐδὲ μάλ' ἡβῶν,

et Od. XV, 400: μνωομένω· μετὰ γάρ τε καὶ ἄλγεσι τέρπεται ἀνήρ.

ἄορ (ἄορ) Χρυσάωρ. ἄορ semel producit α in quinta thesi positum, Sc. 221; corripitur autem α bis, Th. 283, ubi α est posterior primi dactyli arsis, et Sc. 457, ubi vox arsin quinti dactyli efficit [1].

Χρυσάωρ Th. 281 α collocat in longa arsi secunda, 287 in longa arsi prima [2]. Ter haec vox in quarta thesi ponit α Χρυσάορι Th. 979, χρυσάορα Op. 771, χρυσάορον Fr. 244,3 [3].

ἄορ esse pro *ἄ-(σ)ϝορ docet Brugman [4]. Χρυσάωρ priscam quantitatem servasse apparet quum ex ea re, quod sine metrica necessitate producit (ut imprimis in formis χρυσαόρου, χρυσάορον), tum ex ea, quod α etiam longam arsin occupat. Nomen autem proprium maiore fide quam substantivum ἄορ quantitatem servasse mirum non est. Hoc vero quod producit Sc. 221, id non credo positum esse in prisca vocis quantitate, sed esse epicam imitationem earum formarum, quae apud Homerum producunt.

Ἀπόλλων. Hesiodus, Homerum secutus, interdum α producit in formis quattuor syllabarum, si quidem a thesi incipiunt.

Ἀπόλλωνος. Haec figura ter producit α, Th. 94, Sc. 58 in versuum clausulis, Fr. 154,5 excipiens primum pedem; bis corripit α, Sc. 70, quo in versu excipit tertium trochaeum, et 100, ubi primum trochaeum excipit.

[In illo versu fortasse scribi debet: χείρεσσ' (χείρεσιν?) ἀμφοτέρῃσιν ἀνὴρ ἔχοι κτλ. Confer Ludwichium, Aristarchs Homer. Textkrit., I, pag. 346]. Productiones vero Hesiodeae mihi videntur excusationem petere primum ex analogia figurarum trisyllabarum, tum etiam ex ea re, quod non raro aliae formae huius vocis versum claudunt; ut ἀνδρί Op. 302, 717, ἄνδρα Th. 987, ἄνδρες Op. 586, ἀνδρῶν Th. 47, 457, 468, 893, 923, Sc. 148, 196, 270, Fr. 97,2, 107, ἄνδρας Op. 372.

[1] Apparet hunc Sc. versum tueri versum e Th. allatum,

283: γένθ', ὁ δ' ἄορ χρύσειον ἔχεν μετὰ χερσὶ φίλῃσι.

Quem hoc modo emendat Muetzell: γείνεθ', ὁ δ' ἄορ ἔχεν χρύσεον κτλ. Quam emendationem prorsus supervacaneam esse iudico, quamquam ita in usitatiorem interpungendi rationem redactus est versus — vide supra pag. 50 —, neque desunt libri, qui bisyllabam verbi figuram (γένεθ', γείναθ') exhibeant. Homerus in formis trisyllabis solis, quae α in thesi ponunt, agnoscit productionem; scilicet in iis formis productio magis excusatur necessitate.

[2] Quod priore loco omnes praeter unum libri exarant ἐξέθορε Χρυσάωρ κτλ., id ferri non posse propter inauditam υ vocalis correptionem in vocabulo quod est Χρυσάωρ iure animadvertit Rzach. Non dubitatur quin verum restituerit Guietus, ἔκθορε Χρυσάωρ.

[3] In eadem versus sede ponuntur exempla Homerica, quae sunt χρυσαόρου Il. V, 509, χρυσάορον Il. XV, 256. Accedunt, in eadem versus sede posita, χρυσάορα h. I, 123, χρυσαόρου h. V, 4.

[4] *De graecae linguae productione suppletoria* (in Curtii Stud. IV), pag. 145.

Ἀπόλλωνι, α producto, excipit tertium pedem Th. 347.

Ἀπόλλωνα, α producto, incipit a secunda thesi Th. 14, 918, α correpto, excipit primum trochaeum Op. 771, Fr. 244,3.

Nominativus casus ubique est bacchius; versum claudit Sc. 68, 478, Fr. 142,1,5, primum trochaeum excipit Fr. 213,1 [1].

Ἄρης. Et bisyllabae figurae et trisyllabae huius nominis, Homero praeeunte, productam vocalem α in thesi ponunt.

Bisyllabae formae his locis producunt: Ἄρης in fine versuum Sc. 192, 441, Ἄρες in fronte versus Sc. 446. E figuris trium syllabarum tribrevis figura Ἄρεος producit α in quarta thesi Sc. 98, dandi casus forma Ἄρηϊ in eadem sede Th. 936. Corripiunt autem α hae formae: Ἄρης Sc. 346, 357, quae excipit tertium trochaeum; Ἄρηος, quae forma Sc. 109, 434, 444 interiores trochaeos excipit, Sc. 181, Fr. 97,1, 122,2, 135,4 versum claudit; Ἄρεος Sc. 191, 450 primam et tertiam thesin excipiens; Ἄρηι Th. 933 versum claudens; Ἄρην, tertium trochaeum excipiens Sc. 59, 333, 425, primum 457; Ἄρηα Th. 922 post secundum trochaeum.

Rzach, Hesiod. Unters., pag. 29, productionem initialis vocalis huius nominis totam esse positam in thesis vi docet: nullum enim exstat productionis exemplum in arsi. De vocis originatione quidem nihil cognitum habemus.

καλός. Rzach, Hesiod. Unters., pag. 32, contendit hanc vocem apud Homerum paenultimam tum producere, tum corripere. Correptionis ego nullum cognitum habeo exemplum. Apud Pindarum autem (Heimer, pag. 127) et Atticos scriptores semper brevis est. Apparet inter Homerum, qui producit, et Pindarum, qui corripit, intercedere necesse esse temporis spatium, quo vaccillabat vocalis α quantitas. Quare si vel apud Hesiodum nobis occurrit exemplum correptae quantitatis, mirum non debet esse. Eius modi vero exempla duo exstant:

---

[1] In productione vocalis α latere priscam quantitatem credere licet. Adhuc ita varia de nominis ἐτύμῳ docent viri docti, ut nihil pro certo statui possit. Goebel, *Lexilogus zu Homer, Berlin. 1878*, I, pag. 31, docet Ἀπόλλων esse pro Ἀ-σπόλλων, e radice σπαλ, quam eandem nobis praebet πάλλω. „Apollo ist der *Schütze* κατ' ἐξοχήν." Vocalem α additam scilicet putat, ut facilius efferrentur consonae σπ.

Th. 585: Αὐτὰρ ἐπειδὴ τεῦξε καλὸν κακὸν ἀντ' ἀγαθοῖο,
et Op. 63: παρθενικῆς καλὸν εἶδος ἐπήρατον κτλ [1].

Curtius, Grundz., n:o 31, καλός coniungit cum voce sanscr. *kal-jas*, unde apparet, cur antiquus Graecorum sermo producta utatur paenultima. Quam quantitatem imprimis observari apud Hesiodum vel inde apparet, quod quinquies in arsi ponitur syllaba καλ- [2].

Quum simplex verbum κεφαλή correpta ubique utatur vocali α [3], iunctae formae hae α producunt: πεντηκοντακέφαλον Th. 312, τρικέφαλον Th. 287. Neque aliter in versu heroico appellari posse Μακροκεφάλους, quorum mentionem factam esse apud Hesiodum testantur Strabo et Harpocratio (Fr. 86), apparet. Fortasse cum Rzachio, in Th. v. 287, agnoscenda est antiquissima pronuntiandi ratio, in comparationem vocato

---

[1] Uterque versus emendatores allexit. Hermann (Opusc., VI, pag. 178) Th. 585 scribendum esse proposuit: Αὐτὰρ ἐπεὶ τεῦξεν καλὸν κακὸν ἀντ' ἀγαθοῖο. Quam corrigendi rationem a veri similitudine abhorrere vix ausim contendere. ἐπεί simplex apud Hesiodum longe saepius quam ἐπειδή tempus significat. Praeter enim hunc versum ἐπειδή bis tantum exstat in carminum Hesiodeorum corpore, Th. 857 (quo in versu seiuncta exarant ἐπεὶ δή) et Op. 121; ἐπεί autem his locis invenitur: Th. 820, 853, 881, Op. 83, 140, 156, 728, Fr. 100,2 (αὐτὰρ ἐπεί legitur septies: Th. 820, 881, Op. 83, 140, 156, 728, Fr. 100,2). De ν parag. posito ad productionem efficiendam velim adeas Rzachium l. l., pag. 34. Sed quominus plane probemus Hermanni emendationem, obstat id, quod e versu, qui figuram omnium, una excepta, frequentissimam sequitur, fit versus eius figurae, quam in Th. e centenis versibus vix bini exhibere soleant; vide supra pag. 4. Accedit, quod longe melioribus caesuris utitur librorum versus, quam qui ab Hermanno emendatus est; cuius tres caesurae masculae deinceps sequentes admodum displicent.

Quod ad Op. v. 63 attinet, Hermann, l. l., pag. 224, iusto longius a libris recedens, hoc modo emendat: παρθενικῆς εἶδος πολυήρατον κτλ. Quae emendatio, si iure id nomen ei tribuitur, probari non potest, nisi cui videtur correpta vocalis α huius vocis igni et ferro exstinguenda esse. Neque placet ea, quam proposuit Goettlingius: καλὸν παρθένου εἶδος ἐπήρατον κτλ. Quae scribendi ratio cur in alteram abierit, prorsus non video. Neque apte a duobus vocabulis incipit, quae eadem pedes efficiunt.

[2] Haec productionis exempla exstant in arsi: καλή Th. 194, Fr. 149,2, καλήν Th. 17, 22, καλόν Th. 911; in thesi autem haec: καλός Th. 201, καλῇ Th. 68, καλήν Fr. 38,3 καλόν Th. 437, Sc. 125, Op. 198, καλούς Th. 8, καλά Th. 63, 216, 417, Sc. 468, Op. 738, Fr. 54,3, 182,3, CLXIII (G.-Fl.).

[3] Exstat vicies semel; κεφαλῆς Th. 924, Op. 418, κεφαλῇ Th. 519, 747, Op. 65, κεφαλήν Th. 280, Sc. 104, Op. 587, κεφαλαί Th. 151, 321, 672, 825, Sc. 161, κεφαλέων Th. 828, Fr. 54,3, κεφαλῇσι(ν) Th. 827, 829, Fr. 54,1, κεφαλάς Th. 856, κεφαλῆφι(ν) Th. 578, Op. 545; accedit nom. propr. Κεφάλῳ Th. 986.

vocabulo sanscr. cognato kapâlas, quod longum a medium exhibet. Curtius, Grundz., n:o 54 [4].

ἰάχω. Producitur ι in his formis: ἴαχε Th. 69, περίαχε Th. 678, ἴαχον Sc. 382. Producta vocalis posita est in quarta thesi. Brevis autem ι in his formis nobis occurrit: ἰάχοντες Sc. 436, ἰάχων Sc. 451, ἰάχεσκε Sc. 232. Accedunt hae nominis formae ἰαχή Sc. 404, ἰαχῇ Sc. 441, ἰαχήν Th. 708.

Curtius, Verb., I, pag. 133, statuit — id, quod in promptu esse non negatur — augmentum productionem effecisse. Aliter Hartel, III, pag. 37, quem sequitur Rzach, Hesiod. Unters., pag. 31. Docet enim, non augmentum nobis occurrere in producta vocali ι, sed digamma initiale in vocalem abiisse et una cum ι diphthongum effecisse: υἴαχον etc. Primum ea ratione utitur, quod mirum esset, si imperfecti temporis formae solae digamma amitterent, ceteris formis tenacissime consonam initialem servantibus; confer Knösium, Dig., pag. 60; deinde affert non apte huius temporis formis fere constanter in magna Homeri inconstantia augmentum reddi — duo enim tantum loci excipiuntur brevem vocalem ι exhibentes Il. IV, 506, XVII, 317 —; tum sententiam suam comprobari putat his duobus locis, qui, quum digamma cum vocali mutatum non accipiant, id ut hiatum tollat, revocent. Quae sententia haud vana videtur.

ἱερός. Primum seiungendae sunt formae anapaesticae in consonam exeuntes, quippe quae, ut in versum cadant, necessario primam syllabam corripiant: ἱερῆς Th. 460, Op. 653, Fr. 148,1, ἱερήν Th. 292, 692, ἱεροῖς Op. 136, ἱεροῦς Fr. 147,1; quibus addimus ἱεράων Th. 1015, Fr. 129, ἱεροῖσιν Op. 755. Ipsam syllabarum quantitatem optime observare potuit poeta in formis trisyllabis quarum ultima est brevis in consonam exiens; cuius generis exstant quindecim exempla; quorum haec primam syllabam corripiunt: ἱερός Sc. 201, ἱερόν Th. 21, 57, 105, 346, 939, Op. 566, Fr. 102,2, haec autem producunt: ἱερόν Sc. 99, Op. 339, 466, 597, 770, 805, 819. Illa omnia excipiunt tertiam thesin, haec quintum pedem efficiunt. Th. magis ad corripiendum, Op. ad producendum inclinare videntur.

Formas ἱερή Th. 93, ἱεροῦ Th. 788, ut evitent ultimarum correptionem, apparet ad primas corripiendas inclinare; quas etiam corripiunt;

---

[1] Uterque Th. versus in altero membro vocum iunctarum praebet in quibusdam libris deterioris notae -κάρηνον, quod emendatori tribuimus. Confer Rzachium, l. l.

ἱερά autem, neutr. plur. num., bis producit: Th. 417, Fr. 182,3, semel, Op. 336, α elisione amittens, corripit [1].

ἵημι. Ut metrum capiat formas, hae productiones vocalis ι exstant: ἱέμενοι Sc. 23, 196, 304 (bis), ἱέμεναι Sc. 231, ἱεμένων Sc. 65, 169; accedunt iunctae formae producentes: ἐφίεσαν Sc. 307, συνιέμεν Th. 831. His adiunguntur formae trisyllabae in pyrrhichium desinentes ἱέμεν Op. 596, ἵεσαν Sc. 278. Ceterae formae omnes corripiunt: ἵησι Th. 806, ἱεῖσαι Th. 10, 43, 65, 67, 830, ἵει Fr. 5,1, ἵεσαν Th. 684, ἵεντο Sc. 251.

Licet fortasse harum vocum productionem referre ad ipsam radicem *ja*; ἵ-ημι = *ji-jā-mi*. Curtius, Grundz. n:o 645. (Verb., I, pag. 157). Scilicet spirans consona exstincta ita vim suam ostendit ut, ictu accedente, producatur vocalis [2].

ἱκάνω, ἱκνέομαι. Haec exempla producunt initialem vocalem in thesi: ἵκετ(ο) Th. 193, 285. 554, Sc. 83, Fr. 100,2, 117,4; ἀφίκετο Th. 997, Sc. 38; in arsi; ἵκανε Th. 681, ἵκοντο Sc. 466. Correptam vocalem praebent haec; ἵκανεν Th. 697, εἰσαφίκανεν Sc. 45, ἵκηαι Op. 468, ἵκηται Th. 754, 973, Op. 291, ἵκοιτ(ο) Th. 460, 723, 725, 741, Op. 132, ἵκετ' Th. 685, ἵκοντο Sc. 469, ἀφίκεσθε Th. 652, ἀφίκωνται Sc. 378, ἐξίκετ' Sc. 471.

Duae sunt causae, cur harum formarum productio non cum ea, quae metrica dicitur, iungamus, sed ad augmentum cum Curtio, Verb. I, pag. 133, referamus. Primum enim non modo in thesi, sed etiam in arsi exstant productionis exempla; docent rerum metricarum scriptores metricam productionem ab ictu versus, qui est in thesi, non seiungendam esse; deinde productio nobis non occurrit nisi in formis, quae accipere possunt augmentum, quamquam ex. gr. ἵκοιτο in eandem figuram exit atque ἵκοντο. Haec ipsa res prohibet etiam, quo minus, ut supra de ἰάχω statuimus, cogitemus de prisco initiali digammo, una cum ι in diphthongum coalescenti. Non enim apparet, cur haec digammi mutatio modis augmento usis solis adhaereret, aliorum modorum formas similes fugeret. De radicis digammo initiali vide Curtium, Grundz. n:o 24, c.

ἶσος. Apud Homerum ubique longa quantitate utitur vocalis ι, sed iam apud Pindarum (Heimer, pag. 129) solet brevis esse, ut etiam apud

---

[1] De productionis causa adeundus est Rzach, Hesiod. Unters., pag. 31 (Curtius, Grundz., n:o 614). Homerus productioni viam praemunivit.

[2] Meyer, Gr. Gr., § 217, ad radicem *vi* (Ϝίεσθαι) refert formas medii generis.

Atticos scriptores. Carmina Hesiodea duo exhibent exempla correptae vocalis, ἴσον Op. 752, ἴσα Fr. 189,2. Priorem versum, ut restituatur longum ι, hoc modo emendat Goettlingius: μηδὲ δυωδεκάμην· ἴσον καὶ τοῦτο τέτυκται (ita G.-Fl. in hunc versum; forsitan debeat esse δυωδεκάμην') pro δυωδεκάμηνον· ἴσον, quae in libris sunt. Plerique editores versum spurium ducunt. Emendatio Goettlingiana mihi respuenda videtur quum emendator ipse formam, quam restituendam esse ducit invenerit. Neque aliter iudico de emendandi conatibus, quos in altero versu fecerunt viri docti; de quibus vide Rzachii editionem [1].

Formam ἴσος e *ϝισϝο-ς deducendam esse docet Curtius, Grundz., n:o 569.

ὀπωρινός. Haec vox bis corripit vocalem ι: ὀπωρινόν Op. 674, μετοπωρινόν Op. 415; semel producit, vocali ι in secunda arsi posita, ὀπωρινῷ Op. 677. Scilicet hic imitatur locos Homericos hac voce usos; qui omnes productum ι in hac sede ponunt: Il. V, 5, XVI, 385, XXI, 346, Od. V, 328. Metrica nulla accedit producendi necessitas in his formis.

τιταίνω. Solent duplicatae syllabae correpta vocali uti. Hoc tamen verbum apud Hesiodum semel duplicationis vocalem producit,

Th. 209: φάσκε δὲ τιταίνοντας ἀτασθαλίῃ μέγα ῥέξαι.

Neque abscondita est huius productionis causa. Explicare enim conatur poeta, unde sit ductum Titanum nomen (v. 207: πατὴρ Τιτῆνας ἐπίκλησιν καλέεσκε παῖδας). Τιτήν autem vox ubique longa vocali ι utitur. De producta duplicationis vocali vide Curtium, l. l., pag. 605. ἐτιταίνετο, breve ι exhibens, nobis occurrit Sc. v. 229.

Quod ad διιπετέος attinet, quae vox Fr. 241 alterum ι in quarta thesi producit, apparet geminam causam se praebere, cur excusetur productio. Neque enim, nisi producta syllaba -ιπ-, in versum quadrat hoc verbum, et potest ι finale membri δι- ad similitudinem exitus ι tertii casus (δίφιλος) producere. Apparet Homerum ubique producere.

Vocalem ι ante vocalem pleniore sono efferri, ut etiam semivocalis *j* pronuntiata audiatur, testantur tituli, qui pro ι exarant ιj. Ad eandem rem referenda sunt haec exempla productionis vocalis ι, quae exhibet Hesiodus

---

[1] Ceteri loci omnes longam servant vocalem et in thesi: ἶσον Th. 126, 524, 721, 896, Op. 327, ἶσοι Op. 533, ἶσ' Op. 352, ἰσοφαρίζοι Op. 490, ἰσοῦσθαι Op. 562, ἰσώσαντο Sc. 263; in arsi: ἶσον Th. 638, Op. 707.

et in thesi et in arsi. In thesi exstat, versum claudens, ἀνίην Th. 611, in arsi quarta ἀεργίη Op. 311, in tertia ἀνολβίη Op. 319. Hartel, III, pag. 44, exempla Homerica enumerat; inter quae ἀεργίης Od. XXIV, 251, ι in secunda arsi collocans.

Versus initium, quod est Ἱππότην Fr. 154,3, non ferendum est. Rz. exarat Ἱπποτάδην. Alii aliis emendandi rationibus versum temptarunt. Vide Rzachii appar. crit. in hunc versum.

De συνεχέως vide supra pag. 108, n. 2.

ὕδωρ. Homerum secutus, Hesiodus modo producit υ, modo corripit. Productionis exempla sunt: ὕδωρ Th. 785, 805, Op. 737, Fr. 64, quae ὕδωρ in versus fine collocant, ὕδατι Op. 739, quod quintum pedem óccupat. Correptionem haec praebent: ὕδωρ Sc. 317, Fr. 149,2, quibus locis ὕδωρ excipit secundam trochaicam caesuram, ὕδατος, primam thesin excipiens, Op. 596. Addenda est vox ὕδει Op. 61, primum trochaeum excipiens. Rzach, Unters. pag. 33, ad productionem explicandam in comparationem vocat formam Boeoticam οὕδωρ; de vocis radice vide Curtium, Grundz., n:o 300 [1].

δρῦς. Formae bisyllabae ita variant quantitatem, ut δρυός Op. 436 in versus fronte longa vocali υ utatur, brevi autem, excipiente caesura dactylica, eadem forma Op. 486, δρύες Sc. 376, secundi dactyli arsin efficiens. Quo loco libri consentientes exhibent δρῦς, quam inauditam nominativi casus formam librarii errore esse fictam, qui in hemistichio simillimo Op. 509 (πολλὰς δὲ δρῦς ὑψικόμους) accusativum legisset, opinatur Rzach in hunc versum.

Δυναμένη Th. 248. Apparet hoc nomen, ut ἀθάνατος, aliaque, metrica necessitate producere [2].

---

[1] υἱός, quae vox undequadragies nobis occurrit in carminibus Hesiodeis, apud Homerum interdum corripit diphthongum υἱ in figuris υἱός, υἱόν, υἱέ (neque desunt correptionis exempla Pindarica; Rumpel, Lex. Pind.). Hesiodus nusquam utitur correptione.

[2] Exstat iam apud Homerum, Il. XVIII, 43 in eodem versu, quem una cum Catalogo Nereidum ex Hesiodo petitum esse ducunt. Praeter hoc nomen Homerus bis, metro iubente, producit vocalem υ in forma δυναμένοιο, Od. I, 276, XI, 414. Omnes loci vocalem productam in quinta thesi ponunt.

Exempla correptae vocalis apud Hesiodum exstant haec; δύναται Op. 215, semiquinariam excipiens, et δύνηαι Sc. 121, Op. 350, δύναιο Fr. 188,4, ἐδύναντο Op. 134, quae versum claudunt; δύναμις excipit quartam thesin Th. 420, δυνάμι Sc. 354 (libri δυνάμει), δύναμιν Op. 336 excipit primam.

θυγάτηρ. Formas quattuor syllabarum, Homero praeeunte, ut in metrum cadant, primam syllabam producere apparet. Exempla Hesiodea sunt: θυγατέρα Th. 819, caesuram bucol. excipiens, θυγατέρες Th. 76, θυγατέρων Th. 346, quae primum pedem excipiunt. Brevem autem vocalem exhibet et nomin. casus θυγάτηρ, excipiens aut secundam: Th. 776, Sc. 3, 197, aut tertiam thesin: Th. 383, 780, 975, 1011, et dandi casus θυγατρί post primum trochaeum Th. 474, et accusandi casus θύγατρα, qui est in versus fine Th. 265, Fr. 148,4.

υ in verbo ἐρύω apud Homerum in activi generis formis correpta quantitate utitur, in passivo autem et medio ancipiti. Neque aliter apud Hesiodum; qui productionis exempla exhibet ἔρυτο Sc. 415, εἴρυτο Sc. 138; ἔρῠτ(ο) exstat Th. 304 [1].

τρυγάω, τρυγηρήρ. Illa vox Sc. 292 exhibet breve υ, haec v. 293 longum. Hoc longum υ est inter indicia, quae spurium ostendunt versum.

Cap. VIII.

De longis vocalibus et diphthongis correptis.

Singulas, quae correptionem patiuntur, vocales longas et diphthongos iam recensebimus. Quod ita faciemus, ut a ceteris seiungamus voces monosyllabas et dactylicas (γίγνεται etc.) vel in dactylum exeuntes (παραγίγνεται etc.). Illae enim seiungendae sunt, quod ceteris facilius quamvis versus sedem occupant, et, quum perquam saepe usurpentur, tamquam nummi teruntur et aliquid sui ponderis perdunt; quare magis videntur in syllabas vere breves abire. Harum autem peculiaris mentio est facienda, quod, nisi correpta vocali, in metrum non cadunt. Quibus adnumerandae sunt bisyllabae iambum efficientes, quae a binis consonis incipiunt, non modo eae, quarum initiales consonae non sunt iunctae muta et liquida (σκιή), sed etiam quae ab hac consonarum coniunctione incipiunt (Κρόνου etc.), quum facilius ultimam corripiant ante vocalem initialem sequentem, quam praemissam vocalem brevem finalem ante initiales mutam et liquidam.

[1] Praeter has formas invenitur ἐρύσαι Op. 624, ἐρύσαντο Fr. 230, ἐρυσσάμενος Sc. 457, εἰρύμεναι Op. 818. Formae in duas radices distribuuntur (Curtius, Verb., I, pag. 181).

αι. Corripitur haec diphthongus

1) in voce monosyllaba καί (confer tabellas pag. 19):

in caesuris trochaicis nonagies bis [1].

in caesuris dactylicis centies octogies sexies [2]:

2) in vocibus, quae, ultima correpta, dactylicae sunt aut in dactylos exeunt; quarum correptiones in dactylicis caesuris esse apparet:

in prima: ἄρχεται Sc. 395, γίγνεται Op. 280, 323, δάμναται Th. 122, ἔμμεναι Th. 610, Op. 272, ἔρχεται Th. 751, Sc. 439, Op. 419, ἔσσεαι Op. 310, ἔσσεται Op. 645, λείβεται Sc. 390, λήθεται Th. 236, μέμβλεται Th. 61, τήκεται Th. 866, ψεύσεται Op. 283;

in secunda: χίλιαι Th. 364, ἡμέραι Op. 769, 822;

in quarta: ἀγαίεται Op. 333, ἀέξεται Op. 377, ἀλόξεται Op. 363, ἀπαμείρεται Th. 801, ἀπιστίαι Op. 372, ἀπόλλυται Op. 763, ἀρώμεναι Op. 22, γηράσκεται Fr. 183,3, δειδίξεται Sc. 111, ἐέλδεται Op. 381, ἐλήλαται Th. 726, ἔμμεναι Fr. 142,2 ἐπιδέρκεται Th. 760, Op. 268, ἐπιλήθεται Th. 102, ἐπιμίσγεται Th. 802, ἐπιτέλλεται Op. 567, ἔρχεται Op. 515, ἔσσε-

[1] in prima: Th. 458, 910, Sc. 7, 146, 164, 170; Op. 107;

in secunda: Th. 922, Sc. 89;

in tertia Th. 94, 162, 196, 214, 225, 233, 254, 305, 441, 456, 508, 528, 612, 630, 648, 668, 768, 774, 862, 930, 949, 955, 976, 996; Sc. 67, 121, 329, 346, 351, 371, 464; Op. 43, 55, 91, 113, 177, 241, 339, 351, 372, 446, 595, 599, 815, 828; Fr. 25,3, 27,5, 33,6, 106, 189,2, 194,4, 267 (est enim versus clausula).

in quarta: Th. 74, 122, 237, 661, 896; Sc. 291; Op. 6. 7, 26, 44. 67, 78, 183, 208, 493, 574, 602. 674; Fr. 33,7, 44,2, 244,1.

in quinta: Th. 246, 277, 489, 797; Sc. 282; Op. 158, 453; Fr. 142,5, 159,1, 160.

[2] in prima: Th. 113, 131, 414: Sc. 9, 302; Op. 20, 164, 607, 661, 816.

in secunda: Th. 249, 257, 258, 342, 343, 345, 742, 909, Fr. 12,2, 180,3.

in tertia: Th. 14, 34, 45, 64, 106, 110, 112, 124, 140, 147. 148, 154. 157, 197, 201, 204, 218, 227, 235, 236. 246, 247, 251, 268, 279. 325, 338, 339, 350, 354. 359, 360, 407, 413, 421, 427, 445, 454, 463. 470, 476, 506, 516, 519. 538, 624, 628, 642, 644, 667, 691, 695. 698, 702, 707, 722, 724, 728, 734, 737, 743, 747. 748, 762, 766, 771, 790, 808, 837, 839, 840, 847, 852, 854, 870, 880, 891, 902, 905, 918, 922, 928, 952, 957, 964, 972. 973. 985; Sc. 48, 64, 83. 84, 97. 149, 228, 230, 295, 298, 359, 396, 417; Op. 19, 41, 46, 56, 118, 132, 145. 146, 154, 224, 225. 277, 287, 290, 294, 303, 385, 562, 704, 705, 741, 770, 795, 796, 813, 816, 826; Fr. 12,1, 26, 27,2, 58,2, 117,6, 156,2,6, 191,1, 192,2, 251.

in quinta: Th. 47, 363, 457, 468, 619, 655, 897, 923; Sc. 71, 264, 354, 355, 400, 430, 463; Op. 191, 192, 202. 248, 459, 508, 579, 637, 710. 764, 802; Fr. 5,2, 157,1.

ται Op. 184, 190, καταβήσεται Th. 750, καταλείβεται Th. 786, καταλέξεται Op. 523, κεκαλυμμέναι Th. 9, κυλίνδεται Sc. 438, λείψεται Op. 200, λησσεται Op. 322, μεμίξεται Op. 179, μηχαναί Th. 146, μιγήμεναι Th. 306. παραγίγνεται Th. 429, 432, 436, πελεμίζεται Th. 458, περιμαίνεται Sc. 99, περοίχεται Th. 733, πιφαύσκεαι Th. 655, ποιήσομαι Op. 209, προσαρήρεται Op. 431, σίνεται Op. 318, συνενείκεται Sc. 440, τεκμαίρεται Op. 229, 239, τέρπεται Op. 358, τεύξεαι Op. 401;

in quinta: ἀπαλήσεται Sc. 409, ἀποαίνυται Op. 247, ἀπομείρεται Op. 578, γίγνεται Th. 876, ἔμμεναι Th. 400, ἐπιβήμεναι Sc. 40, ἐπιμίσγεται Th. 803, ἔρχεται Th. 796, ἔσσεται Op. 201, εὐφρόναι Op. 560, καταδύμεναι Sc. 196, πίμπλαται Sc. 429, πύθεται Sc. 153, τέρπεται Fr. 190,1, τίεται Th. 428, ὑποδέξεται Th. 419;

Accedunt duae correptiones in vocibus, quae, correpta syllaba finali, pyrrhichiae fiunt: χαμαί in tertia dactylica Th. 272, φαταί in quarta, Sc. 230.

3) in vocibus, quae, ultima correpta, trochaeos efficiunt aut in trochaeos exeunt; quae correptionem scilicet ponunt in caesuris trochaicis:

in prima: Μοῦσαι Th. 25, 52, 966, 1022, Νύμφαι Fr. 183,5, πέτραι Sc. 375;

in secunda: ἄλλαι Th. 875, θέσθαι Op. 432, Μοῦσαι Th. 75;

in tertia: βάλληται Op. 297, εἶναι Op. 365, ἔληται Op. 359, ἐντύνασθαι Op. 632, ἐξαλέασθαι Op. 802, ἐπιβῆναι Sc. 16, ἐργάζηται Op. 827, ἐφορμηθῆναι Op. 459, ἱεῖσαι Th. 830, κατάθηαι Op. 601, κεῖται Th. 797, κομίσασθαι Op. 600, λύεσθαι Op. 749, μαψαῦραι Th. 872, Μοῦσαι Th. 114, πίπτουσαι Th. 873, ποθέσθαι Fr. 192,1, πωλεῖται Th. 781, συμφράσσασθαι Th. 471, τέξεσθαι Th. 898, φράζονται Op. 250, ψεύδηται Th. 783;

in quinta: ἀραβεῦσαι Sc. 249, ἐνθρέψασθαι Op. 781, ἐργάζεσθαι Op. 314, 438, ἐφορμήσασθαι Sc. 127, κεκλῆσθαι Th. 410, πήγνυσθαι Op. 809, πήξασθαι Op. 455, ποιεῖσθαι Op. 707, ῥήγνυνται Sc. 377, τελέεσθαι Th. 552, φράζεσθαι Op. 367.

ει. Corripitur haec diphthongus

1) in vocibus, quae necessario in caesuris dactylicis corripiunt:

in prima: ἀρκέσει Sc. 358, δεικνύει Op. 451, ἐσθίει Th. 773, ἰσχάνει Op. 495;

in secunda: τρέχει Op. 219;

in quarta: γλάφει Sc. 431, κρατεῖ Th. 403, μεταπρέπει Th. 430, πρέπει Th. 92, τρέφει Th. 582;

Accedunt hae voces, quae correptione pyrrhichiam formam nanciscuntur: in prima caesura: ἐπεί Th. 853, ἔχει Th.425;

in secunda: ἐπεί Sc. 110;

in tertia: ἐπεί Sc. 218, 336, Op. 278, θέρει Op. 640, πέλει Op. 825, σάκει Sc. 414;

in quarta: ἔχει Th. 203, 422, 746, 770;

in quinta: ῥέει Th. 39, 97, χέει Sc. 396.

2) in vocibus, quae in trochaicis caesuris correptionem collocant:

in prima: εὕδει Op. 705, ζώει Th. 606, 611, ἴδει Sc. 397, ναίει Th. 955, σαίνει Th. 771;

in tertia: εἱστήκει Sc. 264, ὀπάζει Th. 420, τεύχει Op. 265;

in quinta: ζηλώσει Op. 312.

ευ. Bis in caesura dactylica prima corripitur: Th. 549: τῶνδ' ἕλευ, ὁπποτέρην κτλ.; Op. 330: ὅς τέ τευ ἀφραδίῃς κτλ.

οι. Haec diphthongus corripitur

1) in vocibus monosyllabis,

a) in caesuris trochaicis (pron. rel. οἵ Th. quinquies, Op. ter, τοί Sc. semel, dativus casus tert. pers. pron. οἱ Th. quinquies, Sc. ter, Op. semel, cui formae adiungitur τοι Sc. bis, Op. septies)

in prima: οἵ Th. 503, 523, Sc. 379, τοι Op. 747;

in secunda: οἵ Th. 118, 794, οἱ Sc. 69, Op. 86, τοι Op. 372;

in tertia: οἵ Th. 564, 804, Op. 801, οἱ Th. 97, 479, τοι Sc. 110, 357, Op. 106, 713;

in quarta: οἱ Th. 101, Op. 139, 257, τοί Sc. 79;

in quinta: οἱ Th. 488, Sc. 125, τοι Op. 393;

b) in dactylicis caesuris (οἵ pron. rel., οἱ encl., τοι, μοι)

in prima: μοι Th. 114, οἱ Th. 420, 509, 907, 949, Sc. 68, Op. 526, τοι Op. 307, 340;

in secunda: οἱ Sc. 411, Fr. 5,3, 154,3, 214,2,; in tertia: οἵ Th. 370;

in quarta: οἱ Th. 412, 418, 974, Sc. 116, 439, Fr. 157,2, τοι Sc. 336, Op. 396, 412, 424, 697;

in quinta: μοι Th. 31, οἱ Th. 764, 824, 826, Sc. 15, Fr. 5,3, τοι Op. 606, Fr. 183,4.

2) in vocibus, quae necessario correptionem collocant in caesuris dactylicis:

in prima: ἀθρόοι Sc. 246, δεύτεροι Op. 142, ἥσυχοι Op. 119, μύριοι Fr. 188,3, νήπιοι Op. 40, ὄλβιοι Op. 172, σχέτλιοι Op. 187, χρύσεοι Sc. 192;

in secunda: βροτοί Op. 3, Fr. 211,2, μόριοι Op. 252;

in quarta: ἀκήριοι Op. 823, ἀκιώτατοι Op. 435, δεδμημένοι Op. 116, ἐναλίγκιοι Sc. 88, ἐναντίοι Th. 646, 650, Sc. 184, ἐπίρροθοι Op. 560, νήκεροι Op. 529, ὄβριμοι Th. 148, σύμφοροι Th. 593, τανύσφυροι Th. 364, ὑπεναντίοι Sc. 347;

in quinta: βροτοί Op. 533, ἐναλίγκιοι Th. 142, ἐπιμάρτυροι Sc. 20;

His adiunguntur eae, quae, correpta syllaba finali, pyrrhichiae fiunt:

in quarta dactylica: δόμοι Th. 767, θεοί Th. 586, 640, 759, 881, Fr. 3,2;

in quinta: θεοί Th. 624, 942;

3) in vocibus trochaicis, quas vocamus:

in prima trochaica caesura: δοιοί Sc. 173, ἐσθλοί Op. 123, κύκνοι Sc. 316, ὅσσοι Fr. 100,4, πολλοί Fr. 156,4, Πυθοῖ Th. 499.

in secunda: ἀοιδοί Th. 95, ἕκαστοι Th. 370;

in tertia: ἄλλοι Th. 586, μετάδουποι Op. 823, πλήξιπποι Sc. 24;

in quinta: αὐτοί Th. 640.

ου. Correptionem patitur

1) in vocibus, quae, ut in metrum cadant, necessario in caesuris dactylicis corripiunt:

in prima: Αἰακοῦ Th. 1005, ἀσπέτου Th. 683, Σειρίου Sc. 153, Ταρτάρου Th. 822, ὑετοῦ Op. 545, χαλκέου Sc. 222.

in secunda: Κρόνου Th. 660, Op. 111;

in quarta: ἀπορρύτου Op. 595, ἀσχέτου Th. 832, ἀτασθάλου Th. 164, ἀψορρόου Th. 776, βαρυκτύπου Op. 79, δυσπεμφέλου Op. 618, δυσωνύμου Th. 171, ἑκατηβόλου Sc. 58, ἑκηβόλου Th. 94, ἐπηράτου Fr. 100,4, ἐρικτύπου Th. 930, εὐσφύρου Sc. 16, ἐφιμέρου Th. 132, Sc. 15, ζόφου Th. 653, 659, ἱπποτρόφου Op. 507, καλλισφύρου Th. 526, 950, κλυτοῦ Th. 215, 274, 288, 294, Sc. 244, Κρόνου Th. 395, 625, 630, 648, 668, λαοσσόου Sc. 3, Ὀλυμπίου Th. 529, Op. 87, 245, Οὐρανοῦ (οὐρανοῦ) Th. 106, 147, 154, 414, 421, 463, 644, 689, 737, 808, 820, 891, Op. 548, πολυηράτου Fr. 100,2, πολυπτύχου Th. 1010, τανυσφύρου Sc. 35, Ταρτάρου Th. 736, 807, φαεσιμβρότου Th. 958;

Adduntur bisyllabae hae, a brevi syllaba et singulis consonis incipientes, correptionem in quarta caesura bucolica collocantes: βίου Op. 316, γάμου Op. 784, δόμου Th. 753, θεοῦ Th. 405, 824, κακοῦ Op. 240, ὁδοῦ Th. 754, Πόλου Sc. 360, χόλου Th. 533.

2) in vocibus, quae necessario correptionem in trochaicis caesuris collocant:

in prima: δίφρου Sc. 324, νούσου Sc. 43, ὄρθρου Op. 577, ταύρου Th. 832, τηλοῦ Th. 302, Op. 169, ὑψοῦ Op. 551, Φοίβου Sc. 100, χώρου Sc. 410;

in quinta: ἄλλου Op. 296, μέσσου Op. 502.

α. Corripitur semel, in bucolica caesura, Th. 426: ἧσσον θεὰ ἔμμορε.

η. Haec vocalis finalis corripitur

1) in monosyllabis; et in caesuris trochaicis quidem:

in prima: δή Op. 270, Fr. 211,2, 234, μή Th. 838, Op. 651, Fr. 213,1;

in secunda: δή Th. 405, 562, Op. 292; (de partic. δή in tertia troch. caesura correpta Sc. 310 confer pag. 106, n. 1);

in quarta: ᾗ Op. 175;

secunda dactylica caesura unum exemplum praebet: πῇ Op. 105.

2) in vocibus, quae necessario in dactylicis caesuris corripiunt:

in prima: ἀντίη Sc. 444, σχετλίη Sc. 149, Op. 15;

in quarta: Βοιωτίη Fr. 153, ἑβδόμη Op. 770, Ἡμέρη Th. 748, ἡμέρη Op. 825, κεκαλυμμένη Th. 757, νεωμένη Op. 462, πεπαρμένη Op. 205, προφερεστάτη Th. 79, 361, τετιμένη Th. 415 [1];

in quinta: Ἡμέρη Th. 124, τετιημένη Th. 163;

Ad primae et quartae caesurarum dactylicarum correptiones singulae accedunt in bisyllabis: ἔβη Th. 194, δίκη Op. 278;

3) in vocibus, quae, correpta ultima, trochaicae sunt aut in trochaeum exeunt:

in prima caesura troch.: δεινή Sc. 148, ἔτλη Sc. 432, θρέφθη Th. 198, νίκη Sc. 311, πάντη Th. 178, 366, Sc. 121, τόνη Op. 10, χλωρή Sc. 265;

in secunda: ἔστη Sc. 361, 434; in tertia: Πέρση Op. 10;

---

[1] Th. 956 cum libris quibusdam, quos sequitur Rzach (aliique editores) lego κλυτὸς Ὠκεανίνῃ, non κλυτῇ. Homerus Il. II, 742: κλυτὸς Ἱπποδάμεια, Od. V, 422: κλυτὸς Ἀμφιτρίτη. Exempla Hesiodea, quae adiectivum masculinae formae cum substantivo feminino iungunt, afferunt G.-Fl. in Th. v. 657. Delbrück *Syntakt. Forschungen, IV (Halle a. S. 1879)*, pag. 64, iure, opinor, hunc usum e metrica necessitate deducit.

in quinta: λυγρή Th. 304.

ῃ (εῃ Op. 640). 1) Semel vox monosyllaba hanc diphthongum corripit in troch. tertia caes. τῇ Sc. 210.

2) Haec vocabula, quae necessario in caesuris dactylicis corripiunt, exstant:

in prima: ἱστίῃ Op. 734, κράδῃ Op. 681, σκιῇ Op. 593;

in quarta: ἀργαλέῃ Op. 640, ἡμέρῃ Op. 102, οὐδαμῇ Sc. 218, πρωτηρότῃ Op. 490;

3) Hae voces ultimam corripiunt in trochaicis caesuris:

in prima: βουλῇ Fr. 33,8, Θήβῃ Sc. 49, Κρήτῃ Th. 480, πέτρῃ Sc. 406, ῥιπῇ Th. 681, σιγῇ Op. 104, τέχνῃ Th. 863, τόσσῃ Sc. 441, φωνῇ Th. 39, Sc. 382, ὥρῃ Op. 575;

in tertia: δίῃ Th. 866, εὔξῃ Op. 738, τέτμῃ Th. 610;

ω. 1) Vox monosyllaba τώ corripit in tertia caesura dactylica Op. 438;

2) in dactylicis caesuris exstant correptiones: in quarta: Ἀμφιρώ Th. 360; in quinta: κατελεγχέτω Op. 714; accedunt quae in pron. ἐγώ exstant in prima Op. 57, 286;

3) in trochaicis caesuris nobis occurrunt: in prima: δοιώ Sc. 234, Πυθώ Fr. 148,2; in secunda οὔπω Op. 273.

ῳ (εῳ Op. 144, 583). 1) Necessitate coactae hae voces in caesuris dactylicis corripiunt:

in prima: Δωτίῳ Fr. 147, 2, Οὐρανῷ Th. 133, παρθένῳ Th. 572, Op. 71, χρυσέῳ Op. 129,

in tertia: πλέῳ Op. 792, τρίτῳ Op. 488;

in quarta Αἰνηίῳ Fr. 81, ἀμφιρρύτῳ Th. 983, ἀργυρέῳ Op. 144, βαρυκτύπῳ Th. 388, Sc. 318, βροτῷ Sc. 55, Op. 214, γαιηόχῳ Fr. 152,2, δορυσσόῳ Sc. 54, ἐρικτύπῳ Th. 441, εὐσφύρῳ Th. 254, Sc. 86, ζόφῳ Th. 729, Κρόνῳ Th. 634, οὐρανῷ Th. 71, 427, Op. 111, πεπυκασμένῳ Th. 484, περιρρύτῳ Th. 290, πολυηράτῳ Op. 739; in hac caesura accedit correptio in voce θεῷ Th. 380;

2) hae voces in caesuris trochaicis collocant correptionem:

in prima: ἄντρῳ Th. 483, δενδρέῳ Op. 583, δίφρῳ Sc. 195, ἰῷ Sc. 409, κόσμῳ Th. 587, νειῷ Th. 971, ὄζῳ Sc. 394, Ὄρθῳ Th. 327, πολλῷ Op. 677, πόντῳ Th. 241, σταθμῷ Th. 294, Φοίβῳ Fr. (107,) 148,3, χώρῳ Th. 731, Op. 599,

in quinta: δεκαδώρῳ Op. 426, τούτῳ Op. 801 [1].

Si summas facimus correptionum easque in eius modi ordinem redigimus ut, qui exitus ceteris frequentius corripit, primum locum occupet, qui rarius, ultimum, invenimus

αι exhibere correptiones in Th. 190, in Sc. 54, in Op. 127, in Fr. 32 = 403
οι „ „ „ Th. 41, „ Sc. 21, „ Op. 33, „ Fr. 11 = 106
ου „ „ „ Th. 38, „ Sc. 13, „ Op. 17, „ Fr. 2 = 80
ῳ „ „ „ Th. 20, „ Sc. 7, „ Op. 13, „ Fr. 5 = 45
η „ „ „ Th. 16, „ Sc. 8, „ Op. 13, „ Fr. 4 = 41
ει „ „ „ Th. 18, „ Sc. 9, „ Op. 9, „ — = 36
ῃ „ „ „ Th. 6, „ Sc. 6, „ Op. 9, „ Fr. 1 = 22
ω „ „ „ Th. 1, „ Sc. 1, „ Op. 5, „ Fr. 1 = 8
ευ „ „ „ Th. 1, — „ Op. 1, — = 2
α „ „ „ Th. 1, — — — = 1
Correptionum igitur summa est „ Th. 342, „ Sc. 119, „ Op. 227, „ Fr. 56 = 744 [2].

Apparet pro carminum ambitu Th. frequentiores praebere correptiones quam Sc. aut Op. Nam quum in Th. e centenis versibus triceni terni singulas correptiones exhibeant, in Sc. e totidem versibus viceni quini, in Op. viceni septeni correptione huius generis utuntur. Si quid e quaternis pri-

---

[1] Clarioris conspectus causa hic addo tabellas. Correptionis exempla exhibent voces

	monosyllabae					quae, ultima correpta, in binas breves exeunt					quae correptae ultimae praemittunt longam syllabam					pyrrhichiae					correptionum summa est				
in	Th.	Sc.	Op.	Fr.	omn.	Th.	Sc.	Op.	Fr.	omn.	Th.	Sc.	Op.	Fr.	omn.	Th.	Sc.	Op.	Fr.	omn.	Th.	Sc.	Op.	Fr.	tota.
in I troch. caesura	5	5	5	3	18	—	—	—	—	—	25	21	11	7	64	—	—	—	—	—	31	25	16	10	82
„ II „ „	5	2	3	—	10	—	—	—	—	—	4	2	2	—	8	—	—	—	—	—	9	4	5	—	18
„ III „ „	28	10	17	7	62	—	—	—	—	—	13	3	15	1	32	—	—	—	—	—	41	13	32	8	94
„ IV „ „	6	2	14	3	25	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	6	2	14	3	25
„ V „ „	5	2	3	3	13	—	—	—	—	—	4	3	12	—	19	—	—	—	—	—	9	5	15	3	32
omnia exempla	49	21	42	16	128	—	—	—	—	—	47	28	40	8	123	—	—	—	—	—	96	49	82	24	251
„ I dactyl. caesura	8	3	9	—	20	12	10	21	2	45	—	—	—	—	—	4	—	2	—	6	24	13	32	5	74
„ II „ „	8	1	1	5	15	2	—	6	1	9	—	—	—	—	—	—	1	—	—	1	10	2	7	2	21
„ III „ „	89	13	28	10	140	—	—	2	—	2	—	—	—	—	—	1	3	3	—	7	90	16	33	11	150
„ IV „ „	3	3	5	1	12	78	19	46	7	150	—	—	—	—	—	16	2	4	1	23	97	24	55	9	185
„ V „ „	12	8	12	4	36	9	6	6	1	22	—	—	—	—	—	4	1	—	—	5	25	15	18	5	63
omnia exempla	120	28	55	20	223	101	35	81	11	228	—	—	—	—	—	25	7	9	1	42	246	70	145	32	493

[2] Quae intercedunt inter meos numeros et Rzachianos, Hesiod. Unters., pag. 17, maximam partem pendent e lectionum varietate. Conferendus est ordo, quem apud Homerum observant hi exitus correpti; Hartel, Homer. Unters., II, pag. 331. Praeter quod ει saepius corripitur quam ῳ et η, et ω quam ῃ idem est.

mis Il. et Od. carminibus de correptionum apud Homerum frequentia colligere licet, proxime ad Th. accedit; e centenis enim versibus triceni bini singulas correptiones praebent; Hartel, II, pag. 330, 331. At e quingentis versibus Apollonii Rhodii, quos examinavi, emergit eum longe rarius hac licentia uti; e centenis versibus undeviceni tantum hac correptione instructi sunt. Nescio an omnino, quo antiquius sit poema, eo magis correptioni vocalium finalium faveat.

Pauca addam de sedibus, quas occupant correptiones.

Supra, pag. 22, suspicatus sum correptionem diphthongorum et longarum vocalium valere ad infirmandas incisiones. Ut id ostendatur necesse est confugiamus ad ea verba, quae ultimae correptae longam syllabam praemittunt, quum ceteris magis libera utantur in versu collocatione. Ratione habita eius rei, quod aeque non frequententur caesurae trochaicae (pag. 14), omissis Fragmentis, invenimus huius modi correptionem

in V:o	pede	exstare	in L:a	quaque	trochaica	caesura;
„ III:o	„	„	„ XXXXIIII:a	„	„	„
„ II:o	„	„	„ XXXV:a	„	„	„
„ I:o	„	„	„ X:a	„	„	„

(quarta trochaica caesura tam raro nobis occurrit, ut mirum non sit eam nullum correptionis exemplum praebere). Unde apparet correptionum in versu ponendarum usum ita firmare id, quod suspicatus sum, ut firmiores trochaicae caesurae, tertia et quinta, rarius, infirmiores autem, secunda et prima, frequentius correptionem accipiant.

Scilicet liberius etiam in versu collocantur monosyllabae, quum et in trochaicis et in dactylicis caesuris correptionem patiantur. Sed observandum est particulam καί longe maximam exemplorum partem exhibere (278 e 351), quam particulam eas sibi elegere sedes, quae conectendis sententiarum membris aptissimae sint, non eas, quae aliis forsitan facilius correptionem accipiant, elucet ex iis, quae exposita sunt pagg. 19, 20. Quare tam pauca restant exempla, ut cautissime ex iis sit collegendum. At nihilo minus, seductis particulae καί exemplis, videntur, quod ad trochaicas caesuras attinet, eandem omnino observare collocandi legem atque voces trochaicae. Exhibent enim

in V:a	troch. caes.	3 correptiones	= in CCCXVI:a	quaque	incisione	singulas;
„ III:a	„	„ 10	„	= „ CXXXVI:a	„	„	„

in I:a troch. caes. 8 correptiones = in LXXII:a quaque incisione singulas;
„ II:a „ „ 8 „ = „ XXXV:a „ „ „
„ IV:a „ „ 4 „ = „ XV:a „ „ „

At aliter se habent monosyllabarum correptiones in dactylicis incisionibus positae. Exstant enim correptiones

in I:a dact. diaeresi 10 = in LXI:a quaque incisione singulae;
„ IV:a „ „ 12 = „ LXXXXVI:a „ „ „
„ II:a „ „ 2 = „ LXXXXVI:a „ „ „
„ V:a „ „ 6 = „ CVII:a „ „ „
„ III:a „ „ 2 = „ CLXXVIII:a „ „ „

Unde apparere videtur firmissimas caesuras easdem maxime frequentare correptiones.

Ut nunc de iis vocibus loquar, quae, ut in metrum cadant, necessario in dactylorum fine corripiant, planum est, cur tertiam diaeresin fugiant, prae ceteris bucolicam sibi elegant. Nam si correptionem in tertia diaeresi dactylica collocarent, quum omnino dactylica forma utantur, hic pes caesuram legitimam amitteret. Tertium vero dactylicum in veram diaeresin exeuntem nusquam apud Hesiodum legitima caesura carere vidimus pag. 28. Duo, quae praebent Op., correptionis exempla in hac sede collocata exhibent bisyllabae voces, a binis consonis incipientes (v. 488 τρίτῳ, v. 792 πλέῳ), ut hi versus semiquinaria distinguantur. Caesura autem bucolica imprimis elegitur, quod ceteris, quae inter pedes sunt, magis est legitima; quare quartus pes omnium aptissimus est, qui accipiat voces, ultima correpta, dactylos efficientes aut in dactylum exeuntes. Proxime ab hac sede abest primus pes, qui sine ullo versus damno in diaeresi finem ponit. Ea tamen re inferior est quarto, quod et rarius in diaeresin exit, neque potest accipere voces, quae plus ternis syllabis utantur, quum quartus etiam accipiat eas, quae dactylo finali singulas aut binas (si breves sunt) syllabas praemittant. Secundum dactylum omnium rarissime in diaeresin exire elucet e pag. 14; unde fit ut etiam raras exhibeat correptiones. Quintam vero diaeresin dactylicam saepius quam secundam aut tertiam correptiones accipere debere vel inde elucet, quod magis frequentatur. Ratione igitur habita variatae incisionum frequentiae, omissis Fragmentis, invenimus

IV:am	diaer.	dactyl.	in VIII:a	quaque	incisione	correptionem	exhibere;
I:am	„	„	„ XIV:a	„	„	„	„
II:am	„	„	„ XXIV:a	„	„	„	„
V:am	„	„	„ XXXI:a	„	„	„	„

(De tertia vide paulo supra.) Unde apparet has voces, quemadmodum supra monosyllabas in dactylicis incisionibus correptas vidimus, imprimis in firmiorum incisionum locis collocari.

Sed in hac re non est acquiescendum. Versamur enim hoc loco in vocum figuris, quas omnes sedes non aeque facile accipiant. Quare videndum est, quot quaeque sedes, interiore pedis incisione omissa, accipiat dactylos in diaeresin exeuntes. Fragmentorum non ratione habita, invenimus

I:am	sedem	exhibere	277	dactylos	non	incisos	(Th. 108, Sc. 66, Op. 103)
II:am	„	„	45	„	„	„	(Th. 28, Sc. 5, Op. 12)
IV:am	„	„	623	„	„	„	(Th. 294, Sc. 113, Op. 216)
V:am	„	„	391	„	„	„	(Th. 251, Sc. 72, Op. 168).

Si ex correptionum exemplis, quae huc pertinent, seiungimus ea, quae exhibent voces binis syllabis usae, a binis consonis initium capientes [quarum numerus est in I:o pede 2, in II:o 4, (in III:o 2), in IV:o 18, in V:o 1], restant correptiones

in IV:i	dactyli	fine	125 = V:us	quisque	dactyl.	non	incisus	corrept:em	exhibet;
„ I:i	„	„	41 = VII:us	„	„	„	„	„	„
„ II:i	„	„	4 = XI:us	„	„	„	„	„	„
„ V:i	„	„	20 = XX:us	„	„	„	„	„	„

Unde apparet hos numeros probare id, quod paulo supra observavimus, correptiones in vocum dactylicarum fine positas imprimis firmiorum incisionum locos occupare.

Jam de iis vocibus agendum est, quae a singulis consonis incipientes, ultima correpta, figuram pyrrhichiam repraesentent. Quae quum paucae sint, minus operae pretium est eas in dactylicorum pedum incisiones finales distribuere. Tamen, si tabellas, quas exhibet pag. 14, conferimus cum iis, quae nobis occurrunt pag. 135, n. 1, omissis Fragmentis, invenimus

in I:o	dactylo	C:am	quamque	diaeresin	correptionem	exhibere;
„ II:o	„	CLXXXXI:am	„	„	„	„
„ III:o	„	L:am	„	„	„	„

in IV:o	dactylo	LI:am	quamque	diaeresin	correptionem	exhibere;	
„ V:o	„	CXXVIII:am	„	„	„	„	

Quum vero pedes omnes non aeque facile accipiant huius modi voces — tertius scilicet ceteris magis frequentat trochaicam caesuram, quartus minus — apparet necesse esse etiam quaerere, qui pedes dactylici plures, qui pauciores in arsi exhibeant voces pyrrhichias. Exhibet

I:i	dactylici	arsis	115	huius	figurae	voces	(Th. 53, Sc. 15, Op. 47)
II:i	„	„	115	„	„	„	(Th. 45, Sc. 36, Op. 34)
III:i	„	„	130	„	„	„	(Th. 31, Sc. 39, Op. 60)
IV:i	„	„	407	„	„	„	(Th. 172, Sc. 85, Op. 150)
V:i	„	„	126	„	„	„	(Th. 52, Sc. 27, Op. 47).

Distributis igitur correptionis exemplis, huius generis correptionem nobis

praebet I:a	dactylica	diaeresis	in	XIX:a	quaque	forma	pyrrhichia;
III:a	„	„	„	XIX:a	„	„	„
IV:a	„	„	„	XIX:a	„	„	„
V:a	„	„	„	XXV:a	„	„	„
II:a	„	„	„	CXV:a	„	„	„

Apparet hos numeros ita firmare id, quod supra de vocibus dactylicis docuimus, ut firmissimae incisiones dactylicae prima et quarta saepissime, secunda autem infirmissima ceteris rarius harum vocum correptionibus locum praebeat. Videntur igitur inter se pugnare trochaicae et dactylicae caesurae ita, ut, si quid e numeris concludere licet, illae, quo firmiores sint, hae, quo infirmiores, eo rariores accipiant correptiones. Quod si verum est inter haec caesurarum genera discrimen, quaeritur, qua in re positum sit. Quum vero, quod ego sciam, eius modi discrimen ante non sit observatum, sperare vix ausim fore ut ea exponam, quae quaestionem prorsus absolvant. Correptionem magna ex parte in ea re positam esse, quod altera diphthongi pars (αι, ει, ευ, οι, ου) cum consona littera mutetur, iure videntur viri docti statuere (Meyer, Gr. Gr., § 151; Hartel, III, pag. 7). Cuius mutationis causam inde petendam esse duco, quod inter vocales est posita (confer γαῐήοχον Th. 15); quare, altera diphthongi parte cum consona mutata, hiatus summovetur, qui alias inter diphthongum excipientemque vocalem intercederet. Sed si, ut in consonam abeat haec diphthongi pars, interest eam positam esse inter vocales, inde sequi videtur ut, quo artiore appellandi vinculo cum sequenti vocali iungatur,

eo facilius cum consona mutetur. Unde licet petere rationem, cur firmiores trochaicae caesurae, quae magis a sequenti vocali diducunt diphthongum, rariores quam quae minore vi utuntur, exhibeant correptiones.

Sed haec non valent de incisionibus in dactylorum fine nobis obviis; quae videntur, quo firmiores sunt, eo saepius correptiones accipere. Nisi casu factum est — id quod credibile non est — ut numeri ostendant firmiores dactylicas incisiones imprimis frequentare correptiones, contra ac fit in caesuris trochaicis, causa est petenda ex aliqua, quae inter trochaicas et dactylicas incisiones intercedit, dissimilitudine.

Alia etiam est res, quam silentio non liceat praetermittere. Nam pro correptionum numero persaepe correptio posita est in interpunctione. Si numerorum rationem subducimus (vide pagg. 14 et 48), invenimus septimam fere quamque caesuram trochaicam tertii pedis interpunctione augeri (201 e 1355). E triginta duobus autem correptionis exemplis, quae in illa sede, omissis monosyllabis, exhibent carmina Hesiodea, 12 in interpunctione sunt posita [1]. Collatis pagg. 14 et 50, apparet XXIV:am fere quamque primi pedis caesuram trochaicam (24 e 572) interpunctionis augmento uti. Correptiones autem huius generis in ea sede positae eam sequuntur rationem ut octava quaeque in interpunctione sit collocata (8 e 64) [2]. In hac quidem una re, quod ad corripiendi usum attinet, a trochaicis caesuris non abhorrent caesurae dactylicae. E comparatis pagg. 14 et 48 et n. 2 elucet quintam fere quamque caesuram bucolicam interpunctione firmari (227 e 1125). E 173 correptionibus, quas in hac sede exhibent voces dactylicae et pyrrhichiae, 42, i. e. quarta fere quaeque, in interpunctione sunt positae [3]. Ex incisionibus, quae excipiunt primum dactylum, octava fere quaeque — si quidem pro eadem ratione interpunctiones distribuuntur in huius sedis dactylos et spondeos; confer pagg. 14 et 49 — in incisione est posita. At e 51 huius sedis correptionibus.

---

[1] Th. 420, 471, Sc. 24, Op. 10, 250, 297, 365, 632, 749, 802, 823. Accedit unum e Fr. 192,1.

[2] Th. 178, 198, 606, Sc. 173, 265, Op. 10, 123; Fr. praebent unam, 156,4.

[3] Th. 102, 148, 164, 430, 432, 484, 533, 593, 655, 726, 750, 754, 759, 770, 824, 832, (de hoc versu vide pag. 50, sqq.), 1010; Sc. 15, 111, 318, 438, 440; Op. 79, 87, 116, 184, 209, 214. 245, 268, 316, 322, 333, 401, 515, 595, 640, 763, 823, 825; Fr. addunt duas: 142,2, 183,3.

quae in vocibus dactylicis et pyrrhichiis exstant, 19 in interpunctione sunt collocatae [1].

Ex iis, quae praemissa sunt, apparet numeros comprobare:

a) trochaicas caesuras, quo firmiores sint, eo *rariores* accipere correptiones;

b) dactylicas caesuras, quo firmiores sint, eo *frequentiores* accipere correptiones;

c) interpunctionem correptioni favere.

Haec, quae inter se pugnare videntur, forsitan ita explicanda sint, ut eadem mutatione afficiatur diphthongus (producta vocalis) ante sequentem vocalem atque ante vocis intermissionem. Videntur enim incisiones, quae inter pedes sunt — ut omnes, quae in interpunctione positae sunt —, quum in iis et pes et vox finem ponant, propius ad veram vocis intermissionem accedere.

Cap. IX.

De longis vocalibus et diphthongis ante vocales initiales non correptis.

In hac sectione collegendi sunt loci qui longam vocalem aut diphthongum finalem ante vocalem initialem servant.

Primum annotanda sunt exempla, quae in thesibus nobis occurrunt.

αι. In I thesi:
Th. 523: καί (ϝ)οί ἐπ' αἰετόν·
Op. 309: καὶ (ϝ)ἐργαζόμενος·
in II thesi:
Th. 604: μὴ γῆμαι ἐθέλῃ·
607: χηρωσταί· ᾧ δ' αὖτε·
Op. 189: χειροδίκαι· ἕτερος·
386: κεκρύφαται, αὖτις·
in III thesi:
Th. 753: ἐπιστρέφεται, ἡ δ' αὖ·
825: κεφαλαὶ ὄφιος·
Sc. 244: ἴκελαι, (ϝ)ἔργα κλυτοῦ·
Sc. 336: ἀναχάσσασθαι· ἐπεί·
Op. 410: ἀναβάλλεσθαι ἔς τ'·
536: ἕσσασθαι (ϝ)ἔρυμα·
539: περιέσσασθαι, ἵνα·
in IV thesi:
Th. 1003: κοῦραι, ἁλίοιο·
in V thesi:
Th. 68: ἀγαλλόμεναι (ϝ)ὀπὶ καλῇ·
ει. in II thesi:
Th. 232: πημαίνει, ὅτε·
418: κικλήσκει (ϝ)Ἑκάτην·
752: ἀλλ' αἰεὶ ἑτέρη·

[1] Th. 61, 236, 425, 549, 610, 751; Sc. 149, 192, 358, 390, 395; Op. 15, 40, 142, 272, 280, 283, 323, 645.

in III thesi:

Sc. 58: τεμένει (ϝ)εκατηβόλου·
Op. 363: φέρει, ὁ δ' ἀλύξεται·
Fr. 157,2: ἄδην πίνει, (ϝ)οἶνος·

ευ. in IV thesi:

Op. 295: ὃς εὖ (ϝ)ειπόντι·

οι. in I thesi:

Th. 503: οἵ (ϝ)οἱ ἀπεμνήσαντο·

in II thesi:

Th. 706: σὺν δ' ἄνεμοι ἔνοσιν·

in III thesi:

Op. 345: ἄζωστοι ἔκιον·
378: θάνοι ἕτερον·

in V thesi:

Th. 90: παραιφάμενοι (ϝ)επέεσσιν.
815: κλειτοὶ ἐπίκουροι.
Sc. 304: ἱέμενοι ὑπαλύξαι·

ου. in II thesi:

Th. 489: ἀντὶ λίθου ἑὸς υἱός.

in III thesi:

Sc. 360: ἡμετέρου, ὅθ' ὑπέρ·
407: ὀρεσσινόμου ἥ·
Op. 97: πίθου ὑπὸ χείλεσιν·
384: ἀμήτου, ἀρότοιο·
476: βιότου αἱρεύμενον·
575: ἀμήτου, ὅτε τ' ἠέλιος·
624: ἠπείρου (ϝ)ερύσαι·
778: ἐκ πλείου, ὅτε ἴδρις·
Fr. 65,2: Ἐρχομενοῦ (ϝ)ειλιγμένος·

in IV thesi:

Sc. 40: ἀλόχου ἐπιβήμεναι·
Op. 328: ἑοῦ ἀνὰ δέμνια·
467: ἀρότου, ὅτ' ἂν ἄκρον·
735: τάφου ἀπονοστήσαντα.

in V thesi:

Th. 161: πολιοῦ ἀδάμαντος·
605: βιότου ἐπιδευής·
980: πολυχρύσου Ἀφροδίτης·

quae clausula etiam exstat Sc. 8, 47, Op. 521, Fr. 152,3;

Sc. 43: κρατεροῦ ὑπὸ δεσμοῦ·
74: κυδαλίμου (ϝ)Ιολάου·
231: χλωροῦ ἀδάμαντος·
273: εὐσσώτρου ἐπ' ἀπήνης·
Op. 153: κρυεροῦ Ἀίδαο·
386: περιπλομένου ἐνιαυτοῦ·
Fr. 154,1: κλειτοῦ (ϝ)Ιολάου·

α. in IV thesi:

Th. 419: θεὰ ὑποδέξεται·
532: τίμα ἀριδείκετον·
900: θεὰ ἀγαθόν·

η. in I thesi:

Th. 6: ἢ Ἵππου·
Sc. 1: Ἢ οἵη·
Op. 322: ἢ ὅ γ' ἀπό·
732: ἢ ὅ γε πρός·
Fr. 147,1, 149,1, 152,1: Ἢ οἵη·
153: Ἢ οἵην·

in II thesi:

Sc. 198: ἰκέλη ὡσεί·
Op. 356: ἀγαθή, ἅρπαξ·
Fr. 117,7: Ἑλένη ἤσχυνε·
152,1: οἵη Ὑρίη·

in III thesi:
Th. 97: γλυκερή (ϝ)οἱ ἀπό·
125: κυσαμένη Ἐρέβει·
277: θνητή, αἱ δ᾽ ἀθάνατοι·
411: ὑποκυσαμένη (ϝ)Ἑκάτην·
Sc. 138: κάρη Ἡρακλῆος·
311: ἐπηνύσθη, ἀλλ᾽·
381: Ἑλίκη Ἄνθεια·
404: ἰαχὴ ἄραβος·
Op. 641: Πέρση, (ϝ)έργων·
785: πρώτη ἕκτη·
810: μέσση ἐπὶ δείελα·
in IV thesi:
Th. 289: βίη Ἡρακληείη· eadem clausula nobis occurrit
Th. 982, Sc. 115, 349, 416.
Fr. 142,3 exstat: μίχθη ἐρατῇ·
in V thesi:
Sc. 421: ἦ ὅτε πεύκη·
456: ὀρεξαμένη ἀπὸ δίφρου·
Op. 246: ἢ ὅ γε τεῖχος·
ῃ. in I thesi:
Sc. 87: ᾗ ἀλόχῳ·
198: τῇ (ϝ)ἰκέλη·
in II thesi:
Th. 42: σκιδναμένῃ· (ϝ)ἠχεῖ·
574: ἀργυφέῃ (ϝ)ἐσθῆτι·
1009: Ἀγχίσῃ ἥρωι·
in III thesi:
Th. 572: αἰδοίῃ (ϝ)ἴκελον = Op. 71.
604: ἐθέλῃ, ὀλοόν·
Op. 494: χειμερίῃ, ὁπότε κρύος·
545: ἀμφιβάλῃ ἀλέην·
Fr. 148,3: ἀκερσεκόμῃ, ὅτ᾽ ἄρ᾽·
194,3: ἑτέρῃ, ἑτέρη·

in IV thesi:
Th. 315: βίῃ Ἡρακληείῃ = Sc. 452;
725: δεκάτῃ ἐς Τάρταρ᾽·
in V thesi:
Th. 301: κοίλῃ ὑπὸ πέτρῃ·
540: δολίῃ ἐπὶ τέχνῃ = 555.
Op. 639: ὀϊζυρῇ ἐνὶ κώμῃ·
ω. in III thesi:
Sc. 236: δερκομένω. ἐπὶ δέ·
402: δύω ἀμφὶ κταμένης·
Op. 397: ἐπιμετρήσω· (ϝ)ἐργάζευ·
ῳ. in I thesi:
Sc. 369: τῷ ἐπιπειθόμενος·
392: τῷ (ϝ)ἴκελος·
Op. 535: τῷ (ϝ)ἴκελοι·
in II thesi:
Th. 7: ἀκροτάτῳ (ϝ)Ἑλικῶνι
291: ἤματι τῷ, ὅτε = 390
484: Αἰγαίῳ ἐν ὄρει·
Sc. 209: κλυζομένῳ (ϝ)ἴκελος·
362: ἐμῷ ὑπὸ δουρί·
Op. 525: ἀπύρῳ (ϝ)οἴκῳ·
Fr. 142,4: ἤματι τῷ, ὅτε·
in III thesi:
Th. 868: θυμῷ ἀκαχών·
Sc. 397: αἰνοτάτῳ, ὅτε·
455: μεγάλῳ. ἀπὸ δέ·
Op. 370: φίλῳ (ϝ)εἰρημένος·
524: χειμερίῳ, ὅτ᾽ ἀνόστεος·
707: κασιγνήτῳ (ϝ)ἶσον·
in IV thesi:
Th. 143: μέσσῳ ἐνέκειτο·
174: λόχῳ· ἐνέθηκε·
464: ἑῷ ὑπὸ παιδί·

Op. 27: τεῷ ἐνικάτθεο· = v. 627.
331: κακῷ ἐπὶ γήραος·
Fr. 3,1: Νήσῳ ἐν Ἀβαντίδι·
in V thesi:
Th. 153: μεγάλῳ ἐπὶ εἴδει·
189: πολυκλύστῳ ἐνὶ πόντῳ·
199: πολυκλύστῳ ἐνὶ Κύπρῳ·
317: ἀρηιφίλῳ (ϝ)Ἰολάῳ·
618: κρατερῷ ἐνὶ δεσμῷ·
686: μεγάλῳ ἀλαλητῷ·
978: ἐϋστεφάνῳ ἐνὶ Θήβῃ·
Sc. 232: μεγάλῳ ὀρυμαγδῷ·
Op. 131: ᾧ ἐνὶ οἴκῳ·
599: ἐϋτροχάλῳ ἐν ἀλωῇ· quae clausula recurrit v. 806.

Omissis iis exemplis, quae concursum vocalium forsitan digammo tollant, quum postmodum in suo capite tractentur, invenimus longam quantitatem ante vocalem servare in thesi

I					II					III					IV					V					omnia exempla				
Th.	Sc.	Op.	Fr.	S:a	Th.	Sc.	Op.	Fr.	S:a	Th.	Sc.	Op.	Fr.	S:a	Th.	Sc.	Op.	Fr.	S:a	Th.	Sc.	Op.	Fr.	S:a	Th.	Sc.	Op.	Fr.	S:a
1	3	2	4	10	10	2	3	3	18	6	11	15	2	34	11	5	6	2	24	13	9	8	1	31	41	30	34	12	117[1]

Quas productiones si secundum frequentiam in vocales diphthongosque distribuimus, apparet

η exhibere 29 productiones (Th. 5, Sc. 11, Op. 6, Fr. 7)
ῳ „ 27 „ (Th. 13, Sc. 5, Op. 7, Fr. 2)
ου „ 24 „ (Th. 4, Sc. 8, Op. 11, Fr. 1)
ῃ „ 14 „ (Th. 7, Sc. 2, Op. 3, Fr. 2)
αι „ 10 „ (Th. 5, Sc. 1, Op. 4)
οι „ 5 „ (Th. 2, Sc. 1, Op, 2)
ει „ 3 „ (Th. 2, Op. 1).

Accedit α, quod in Th. exhibet 3, ω, quod in Sc. exhibet duas productiones.

Elucet ita aliam rationem intercedere inter theses has longas ante vocalem servatas et correptas ante vocales arses vocalium longarum aut

[1] Ex his tabulis apparet pro carminum ambitu Sc. saepius quam Th. aut Op. longam vocalem aut diphthongum in thesi positam, vocali excipiente, servare. In illo enim carmine decimum sextum quemque versum exemplum exhibere videmus, in Th. autem vicesimum quintum fere quemque, in Op. vicesimum quartum. Numeri, quos exhibet Rz., Hesiod. Unters., pag. 8, aliquantum a meis differunt. Sexta thesis omissa est, quod nullum, quod huc pertinet, exemplum praebet.

diphthongorum, ut omnino, quo saepius corripiuntur in arsi, eo rarius in thesi producantur. Confer pag. 135. Credibile est diphthongos αι, ει, οι, ου magis correptioni favere quam longas vocales η, ῃ, ω, ῳ, quum facile altera earum pars in consonam abeat. Quare etiam longe plures exhibent correptiones. Quum enim diphthongi hae αι, ει, οι, ου 625 correptiones praebeant, vocales η, ῃ, ω, ῳ exhibent 116. At alia est ratio, si inspicimus productiones in thesi ante excipientes vocales. Numerus enim harum productionum, quae in η, ῃ, ω, ῳ exstant, est 72, quae nobis occurrunt in αι, ει, οι, ου sunt 42 [1].

Sed ex his numeris vix possumus certi quidquam de exituum firmitate concludere. Ratio enim habenda est eius rei, quod exitus alii aliis magis frequentantur [2]. Credere enim licet exitum η, non quod ceteris

[1] ῃ et ῳ, quae dimidiam fere partem productionum exhibent (56 e 117), nonam tantum partem correptionum praebent (86 e 744). αι diphthongus, quae plus dimidiam partem correptionum ostendit (403), duodecimam fere productionum partem praebet (10). Septima quaeque correptio, vicesima tertia quaeque productio est in diphthongo οι.

[2] Hae tabellae variam exituum frequentiam exponunt. Exstat in caesura mascula

	I					II					III					IV					V					summa				
	Th.	Sc.	Op.	Fr.	s:a	Th.	Sc.	Op.	Fr.	s:a	Th.	Sc.	Op	Fr.	s:a	Th.	Sc.	Op.	Fr.	s:a	Th.	Sc.	Op.	Fr.	s:a	Th.	Sc.	Op.	Fr.	s:a
η	6	5	14	10	35	24	13	28	14	79	22	14	35	11	82	26	14	34	7	81	8	2	13	3	26	86	48	124	45	303
αι	12	2	19	6	39	31	12	29	8	80	13	9	30	5	57	18	4	18	6	46	8	5	7	4	24	82	32	103	29	246
οι	5	5	5	2	17	25	21	30	9	85	9	13	13	5	40	19	11	18	—	48	7	5	6	2	20	65	55	72	18	210
ῳ	8	4	4	1	17	18	6	10	7	41	7	9	23	2	41	12	3	11	2	28	12	4	7	2	25	57	26	55	14	152
ου	3	3	1	2	9	13	3	9	1	26	11	10	24	3	48	8	2	15	—	25	9	10	8	4	31	44	28	57	10	139
ῃ	1	2	3	—	6	13	1	5	—	19	21	4	21	6	52	10	2	13	1	26	7	4	4	3	18	52	13	46	10	121
ει	—	1	—	—	1	10	3	9	3	25	5	1	13	4	23	8	9	20	5	42	—	—	2	—	2	23	14	44	12	93
ω	3	2	3	1	9	2	2	7	1	12	9	2	5	—	16	1	1	8	1	11	2	—	2	—	4	17	7	25	3	52
α	—	—	—	—	—	2	—	—	—	2	1	—	—	—	1	9	1	—	1	11	1	—	—	—	1	13	1	—	1	15
	38	24	49	22	133	138	61	127	43	369	98	62	164	36	360	111	47	137	23	318	54	30	49	18	151	439	224	526	142	1331

Ex his tabulis emergere videtur terminationes in vocales exeuntes omnino, quo sint firmiores, eo saepius in tertia thesi collocari, quo infirmiores, eo rarius. Apparet enim

ῃ in semiquinaria ex C:enis exemplis collocare XXXXIII;
ου " " " " " " XXXV;
ω " " " " " " XXXI;
η " " " " " " XXVIII;
ῳ " " " " " " XXVII;
ει " " " " " " XXV;
αι " " " " " " XXIII;
οι " " " " " " XIX.

Conferenda sunt ea, quae de semiquinaria, graviores exitus accipiente, docuimus pag. 118, n. 2.

firmior sit, sed quod saepius nobis obvius, ceteris plures praebere productiones. Sed huius variantis frequentiae ratione habita, si ad firmitatem, quae inde concluditur, exempla disponimus, hanc nanciscimur seriem:

α	quintam	quamque	thesin	ante	vocalem	collocat	(3 e 15);
ῳ	sextam	„	„	„	„	„	(27 e 152);
ου	„	„	„	„	„	„	(24 e 139);
ῃ	nonam	„	„	„	„	„	(14 e 121);
η	decimam	„	„	„	„	„	(29 e 303);
αι	vicesimam quintam	„	„	„	„	„	(10 e 246);
ω	„ sextam	„	„	„	„	„	(2 e 52);
ει	tricesimam primam	„	„	„	„	„	(3 e 93);
οι	quadragesim. secund.	„	„	„	„	„	(5 e 210); [1]

Quaeritur, num theses omnes eadem vi servandae quantitatis vocalium ante vocales utantur. Quod ut argumentis probetur, non satis est allegare numeros productionum, quas quaeque thesis exhibet. Apparet enim etiam eius rei rationem habendam esse, quod aliae theses aliis saepius in caesura ponuntur. Sed si conferimus productionum numeros cum iis, qui indicant, quot vocales sonos finales singulae theses exhibeant, rationem eruemus, cui fides habenda sit. Quo nomine theses hunc ordinem servant:

V:a	thesis	V:um	quemque	vocalem	sonum	ante	vocalem	collocat	(31 e 151);
III:a	„	XI:um	„	„	„	„	„	„	(34 e 360);
IV:a	„	XIII:um	„	„	„	„	„	„	(24 e 318);
I:a	„	XIII:um	„	„	„	„	„	„	(10 e 133);
II:a	„	XXI:um	„	„	„	„	„	„	(18 e 369).

Sextam thesin omisi, quum in illa nusquam ponatur vocalis ante vocalem. Vocales, quae nusquam in thesi ante arsin vocalem ponuntur, omissi sunt.

[1] Haec non prorsus congruunt cum iis, quae de exituum firmitate apud Homerum docet Hartel, Hom. Stud., II, pag. 346, al. locis. Apud quem haec series invenitur: ῃ, η, ῳ, ω, (ευ), ου, ει, οι, αι; sed primum observandum est (α et) ω tam raro apud Hesiodum inveniri, ut vix liceat quidquam certi de eorum firmitate concludere; tum non magis series Hesiodea ab Homerica abhorret, quam ut quaedam classes, ut ita dicam, iis sint communes. Nescio enim an, utriusque poetae usu in comparationem vocato, hunc ordinem eruere liceat: 1) ῃ et ῳ; scilicet longa vocalis insuper ι subscripto firmatur; 2) (α et) η et ω; 3) (ευ), ου; 4) αι, ει, οι. ου diphthongum quam ει, οι, αι firmiorem esse vel ea res ostendit, quod tres partes in arsi correptionum, quas exhibet, necessariae sunt, ut in metrum cadant voces, quum necessitas metrica causa sit quartae tantum fere partis correptionum, quas praebent ει et οι, quintae partis, quae exstant in αι.

Invenimus theses omnino eum ordinem servare ut, quo firmiores earum caesurae sint — confer pag. 41 —, eo magis productioni faveant [1].

Quum videantur caesurae, quo firmiores sunt, eo maiorem habere vim servandi productam quantitatem, inde sequitur ut, accedente interpunctione, haec vis augeri debeat. Neque raro interpunctione firmantur hae caesurae. Nam ex 117 productionibus in interpunctione positae sunt 29, i. e. e quaternis singulae [2]. De interpunctionis vi servandae quantitatis inde etiam forsitan concludere liceat, quod pro exemplorum copia saepius ad infirmiores, quas ostendimus esse, quam ad firmiores exitus accedit [3].

---

[1] Excipitur quinta thesis, quae, quamquam tertiâ infirmior esse debet, hoc nomine eam superat; cuius tamen rei causa maximam partem inde petenda est, quod versus clausulam saepe occupant tales verborum coniunctiones, quae praepositionem inter adiectivum et substantivum, quae regit, collocant. Huiusmodi exempla exstant in quinta thesi quattuordecim: Th. 153: μεγάλῳ ἐπὶ εἴδει· 189: πολυκλύστῳ ἐνὶ πόντῳ· 199: πολυκλύστῳ ἐνὶ Κύπρῳ· 301: κοίλῃ ὑπὸ πέτρῃ· 540: δολίῃ ἐπὶ τέχνῃ = 555; 618: κρατερῷ ἐνὶ δεσμῷ· 978: ἐϋστεφάνῳ ἐνὶ Θήβῃ· Sc. 43: κρατεροῦ ὑπὸ δεσμοῦ· 273: ἐϋσσώτρου ἐπ' ἀπήνης· Op. 131: ᾧ ἐνὶ οἴκῳ· 599: ἐϋτροχάλῳ ἐν ἀλωῇ = 806; 639: ὀϊζυρῇ ἐνὶ κώμῃ. Ceterae theses omnes quattuor tantum eius modi exempla praebent: II: Th. 484: Αἰγαίῳ ἐν ὄρει· Sc. 362: ἐμῷ ὑπὸ δουρί· IV: Th. 464: ἑῷ ὑπὸ παιδί· Op. 331: κακῷ ἐπὶ γήραος οὐδῷ· accedit Fr. 3,1: Νήσῳ ἐν Ἀβαντίδι δίῃ.

[2] Ita in theses distribuuntur interpunctiones, ut neque prima neque quinta ullam accipiat — in his thesibus rarissime interpungi ostendimus supra pag. 50 — in secunda octo inveniantur (Th. 232, 291, 390, 607, Op. 189, 356, 386, Fr. 142,4), in tertia duodeviginti (Th. 277, 604, 753, Sc. 236, 311, 336, 360, 397, 455, Op. 363, 384, 494, 524, 539, 575, 778, Fr. 148,3, 194,3), in quarta tres (Th. 174, 1003, Op. 467). In comparationem vocatis tabellis, quae exstant pag. 41 et numeris, qui interpunctionum frequentiam indicant pag. 48, sqq., apparet omnino

V:am quamque semiternariam interpunctione augeri;
III:am „ semiquinariam „ „
XI:am „ semiseptenariam „ „

at ex huius generis productionibus videmus

in semiternaria II:am quamque in interpunctione positam esse
„ semiquinaria II:am „ „ „ „ „
„ semiseptenaria VIII:am „ „ „ „ „

Unde apparet productiones aliquo modo interpunctione niti.

[3] αι, οι, ει, quae vix sextam productionum partem exhibent (18 e 117), tertiam partem interpunctionum praebent (9 e 29). Confer ea, quae de usu Homerico affert Hartel, Hom. Stud., II, pag. 352. A quo non abhorrere usum Hesiodeum apparet, quamquam numeri eius tam parvi sunt, ut maxima cautio sit adhibenda, si quis ex iis de singulis terminationibus concludere velit.

Vidimus supra tertiam fere partem correptionum, quae in arsi nobis occurrunt, e metrica necessitate excusationem petere (pag. 135, n. 1). Quaerere licet, num quid ad productiones efficiendas, quae in thesibus inveniuntur, valuerit metrica necessitas. Ita sane non valuit, ut non evitari potuerint hae productiones. Sed excusationis aliquid non iniuria tribuimus iis vocibus, quae necessario in thesibus vocalem finalem ponunt. Cuius generis fere dimidia pars productionum sunt (55).

Vix credo interesse, cuius generis sint exitus producti. Eosdem enim exitus invenio tum in arsi corripi tum in thesi produci [1]. Duo tamen sunt, quae peculiari mentione digna iudicem. Unum est, quod particula καί, quae plus tertiam partem correptionum praebet, nusquam in thesi ante vocalem producitur. Cuius rei causam inde peto, quod, quum videatur caesura productioni favere, καί autem particula incisionem sequentem minuat, non satis magna adest vis, quae productam quantitatem servet, quum praesertim haec quantitas, usu trita, admodum egeat pondere (confer pag. 128) [2]. Alterum est, quod ἤ decies in thesi ante vocalem producitur, semel tantum in arsi (Op. 175 in quarto trochaeo) corripitur. Quod ita explicat Rz., l. l., Hartelium secutus, ut doceat membra disiunctiva vocis intermissione diduci; unde sequi ut ἤ particula in fronte sententiae posita gravius efferatur faciliusque quantitatem servet. Quod non negaverim. Sed etiam ad vocalis firmitatem confugiendum esse duco, si quidem iure statuimus ipsam caesuram ad quantitatem servandam auxilium ferre. Eo enim nomine similes duco particulas καί et ἤ, quod a sententiis, quae ab iis incipiunt, vocis intermissione quam minime diduci debent [3].

[1] Rzach, Hesiod. Unters., pag. 10, de exituum productorum grammatica ratione agit. Neque omittit, de correptionibus agens pag. 11, sqq., declinandi et coniungendi exitus secernere.

[2] Perquam infirmam huius particulae quantitatem esse vel inde concludere licet, quod, omissis Fragmentis, dimidia pars exemplorum, quae in carminibus Hesiodeis exstant, correptionem patiuntur (251 e 507).

[3] Hanc sententiam firmat id, quod nusquam ita ponitur particula ἤ (disiunctiva, interrogativa, comparativa), ut eam excipiat principalis versus incisio. Has enim sedes occupat: I thesin: Th. 6, Sc. 1, Op. 246, 247, 322, 668, 710, 732, Fr. 147,1, 149,1, 152,1, 153, 213,2: II thesin: Th. 531, 666, Op. 435; V thesin: Th. 35, Sc. 421, Op. 246, 428; arsin II: Op. 175; arsin III: Th. 6, Sc. 43, 407. De correpta particula Op. 175 vide paulo supra. Ut fugit tertiam thesin, quippe quam excipiat firmissima caesura, ita tertiam arsin occupat, quae quam minime voces disiungit. Apparet particulam eas sibi eligere sedes, unde aptissime incipiat novum sententiae membrum.

Restat, ut annotemus vocales longas et diphthongos in arsi ante vocalem productas. Cuius rei exempla perpauca sunt.

αι. In II arsi: Op. 382: καὶ (ϝ)ἔργον.
in III arsi: Th. 250: καὶ εὐειδής; Op. 525: καὶ (ϝ)ἤθεσι; 576: καὶ (ϝ)οἴκαδε.
in IV arsi: Th. 66: καὶ (ϝ)ἤθεα; 259: καὶ (ϝ)εἶδος; Op. 222: καὶ (ϝ)ἤθεα; 582: καὶ (ϝ)ἠχέτα; 585: καὶ (ϝ)οἶνος.

η. in I arsi: ὡς δὴ (ϝ)οἱ Th. 900.
in III arsi: Th. 6: ἢ Ὀλμειοῦ; Sc. 407: ἢ ἀγροτέρης.

ῳ. in IV arsi: Th. 609: ἐσθλῷ ἀντιφερίζει; Op. 382: ἔργῳ (ϝ)ἐργάζεσθαι.

Omissis exemplis, quae forsitan excipiat digamma, restant quattuor, quorum tria in tertia arsi longa, unum in quarta. Quod ad hoc attinet, Th. 609: τῷ δέ τ' ἀπ' αἰῶνος κακὸν ἐσθλῷ ἀντιφερίζει·
quum ea re excusatur, quod firmissimo utitur exitu ῳ, tum quod inter hunc exitum et vocalem excipientem intercedit firmissima diaeresis quarta.

Duo exempla, quae ἢ particulam longam servant in tertia arsi, Th. 6, Sc. 407, ni fallor, imprimis excusationem petunt e vocalis natura. Confer pag. antec. Neque nego ea aliquid firmi sibi assumere ex ea re, quod sententiae membrum a particula ἢ incipiat. Rzach, Hesiod. Unters., pag. 11.

Restat unum exemplum, Th. 250:

Δωρὶς καὶ Πανόπη καὶ εὐειδὴς Γαλάτεια.

Duo exempla, quae καί in eadem sede produxerunt, emendata sunt:

Th. 148: τρεῖς παῖδες μεγάλοι καὶ ὄβριμοι, οὐκ ὀνομαστοί·
Op. 705: εὕει ἄτερ δαλοῦ καὶ ὠμῷ γήραϊ δῶκεν.

In illo versu contra codices insertum est τε, in hoc autem dubitare licet, utrum scribendum sit δαλοῖο καί an δαλοῦ τε καί. Illud placuit Rzachio; mihi quoque eligendum esse videtur [1]. Dubium non est quin iure emendati sint versus. Quod imprimis inde elucet, quod, quum thesis maiore quam arsis videatur uti vi servandae productae quantitatis, nullum eius generis exemplum praebet, quamquam non multo rarius haec particula thesin quam arsin occupat (vide tabellas pagg. 19, 20). Neque aliter

[1] Tertio loco, Th. 373:

ἀθανάτοις τε θεοῖσι, τοὶ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσι·

libri omnes praeter M θεοῖς exarant; θεοῖσι est legendum.

iudico de Th. v. 250. Quo in versu Hermannus proposuit Πανόπεια pro codicum scriptura, quae est Πανόπη, non inepte:

Δωρὶς καὶ Πανόπεια καὶ εὐειδὴς Γαλάτεια

At nescio an retinendus sit versus integer, et hoc modo legendus:

Δωρὶς καὶ Πανόπη καὶ ἐΰ(ϝ)ειδὴς Γαλάτεια.

Confer μέγᾱ ϝιάχων, aliaque.

Cap. X.

De elisione et de brevi vocali in hiatu posita.

Hiatum dicimus concursum vocalium, quarum prior est finalis, posterior initialis. Apparet tamen vocalium concursus non omnes eodem modo versum foedare, ut alii magis liciti habeantur, alii omni vi sint evitandi. Productiones, quas in thesibus positas in capite proximo tractavimus, non admodum offendisse elucet ex ea re, quod magis frequentantur quam ut credere liceat eas versui damnum attulisse. Facile etiam intellegitur caesuram intercedentem non nihil offensionis dempsisse. Nunc transeundum est ad veros, quos dico hiatus, i e. magis illicitos, qui, quum fiant in iis versus sedibus, quae omnino minorem incisionem inter vocales intermittunt, magis offendunt.

Sed utrum magis an minus illiciti sint hiatus, pendet non modo e sedibus, quas occupant, sed etiam e natura vocalium concurrentium, vel potius vocalis finalis, quum vix excipientis vocalis natura ullam vim habeat. Quo enim firmiore natura illa est vocalis, eo minus offendit hiatus. Firmiores enim vocales magis obstant elisioni; unde fit ut, quo difficilius vocalis finalis elisionem patitur, eo difficilius sit evitare hiatum. Quare iure concursibus vocalium, quarum prior elisionem abnuit, excusationem aliquam tribuimus.

Quae quum ita sint, antequam hiatus exempla annotemus, quaerendum est, quas vocales elisione summovere liceat.

ᾰ vocalis eliditur: A) in nominum declinatione centies septuagies quater [1].

---

[1] a) in primo casu fem. gen.: Γαῖα Th. 117, δῖα Fr. 42, δμηθεῖσα Th. 1000, εἰποῦσα Sc. 338, ἔχουσα Sc. 199, θαρσύνουσα Sc. 326 (θαρσύνουσα ϝέπεα?), ἰδοῦσα Sc. 445 (ἰδοῦσα

B) in verborum coniugatione quinquies [1].

C) in vocibus indeclinabilibus centies septuagies [2].

ϝέπεα?), μία Th. 792, μιγεῖσα Th. 970, 1009, 1018, μιχθεῖσα Th. 923, 941, 944, 980, Fr. 24,3, 152,3, προλιποῦσα Fr. 117,3,5, ὑποδμηθεῖσα Th. 374;

b) in neutr. sing.: αἷμα Sc. 174, 268, μέγα Th. 486, 558, 592, 679, 740, 871, Sc. 51, 79, 309, Op. 41, 242, 346, 776, 822, νόημα Sc. 222, ὄνομα Th. 144, 369, Fr. 142,2, πῆμα Th. 329 (confer pag. 70, n. 1), Op. 82, 804, πῶμα Op. 94, σῆμα Th. 500, Sc. 477, χρῆμα Op. 344;

c) in accus. casu sing. masc. aut fem. gen.: αἰγίδα Sc. 344, 444, ἀνέρα Th. 369, Op. 751, ἀστερόεντα Th. 127, αὔλακα Op. 443, γαστέρα Th. 599, Δία Th. 468, Op. 2, ἑσταότα Sc. 61, ἔχοντα Th. 988, Ζῆνα Th. 568, ἥσσονα Fr. 189,1, θυμαλγέα Th. 629, 635, κακότητα Op. 740, κήρυκα Th. 939, κίονα Th. 522, κρατερόφρονα Th. 297, κρυόεντα Sc. 255, ληΐδα Th. 444, νῆα Op. 643, Νύκτα Th. 176, ὄπα Th. 830, ὀπιπεύοντα Op. 29, παῖδα Th. 989, Op. 378, πατέρα Th. 47, 457, 468, Sc. 11, Op. 2, ποιμαίνοντα Th. 23, πυθμένα Th. 932, σπεύδοντα Op. 24, τετράδα Op. 798, τινά Th. 393, Τίρυνθα Th. 292, τρίποδα Op. 657, Φῖκα Th. 326, φιλέοντα Op. 342, χειμῶνα Op. 675, χείρονα Fr. 117,6;

d) in neutr. plur.: ἄγγεα Op. 613, ἆθλα Op. 656, ἄλγεα Th. 621, Op. 133, ἀμαρύγματα Fr. 140, ἀργαλέα Th. 739, 810, γούνατα Th. 460, δίκαια Op. 280, δολιχά Th. 186, δούρατα Op. 456, δώματα Th. 75, 114, 783, 804, 963, Sc. 14, Op. 81, 110, 128, Fr. 25,3, δῶρα Th. 399, Fr. 58,2, 247, ἔπεα Th. 84, ἔργα Th. 879, 903, Op. 119, 146, Fr. 148,2, ἔργματα Th. 823, ἤθεα Op. 167, θαύματα Th. 834, ἱερά Op. 336, ἴσα Op. 352, κακά Th. 26, Op. 504, κατηρεφέα Th. 778, κνώδαλα Th. 582, κολλήεντα Sc. 309, κύματα Th. 252, μεγάλα Th. 694, Sc. 316, 382, νείκεα Op. 29, νήματα Op. 777, νῶτα Sc. 286, Fr. 194,2, οἰκία Th. 64, 758, ὅσα Th. 582, ὅσσα Th. 424, πάντα Th. 803 (confer pag. 103), Op. 392, 407, παντοῖα Fr. 33,3,7, πείρατα Th. 738, 809, πέταλα Op. 680, πλατέα Th. 445, πολλά Th. 59, 583, Op. 402, 696, πρῶτα Op. 467, 784, πρώτιστα Op. 458, Τάρταρα Th. 725, ταῦτα Th. 75, τέτορα Op. 698, τεύχεα Sc. 108, 183, 238, φίλα Op. 306, φορτία Op. 693, φῦλα Th. 330, 556, Sc. 162, Op. 90, Fr. 14,4, χειμέρια Op. 565, χρήματα Op. 605, ὥρια Op. 394.

[1] in terminatione -μεθα: ἀρχώμεθα Th. 1, γεινόμεθα Sc. 88, ἐδασσάμεθα Op. 37, μαρνάμεθα Th. 647; in terminatione -μεσθα: μαρνώμεσθα Sc. 110.

[2] αἶψα Th. 102, Sc. 370, 464, Fr. 38,5, ἀλλά Th. 58, 388, 425, 428, 468, 615, 639, 752, 888, 899, Sc. 108, 259, 311, 449, 450, Op. 11, 15, 35, 87, 130, 132, 142, 147, 175, 179, 444, 527, 557, 571, 573, 734, 736, 786, Fr. 143,2, ἅμα Th. 80, 268, ἀνά Th. 91, 130, ἄρα Th. 282, 289, 330, 478, 492, 526, 532, 633, 684, 687, 689, 713, 805, 838, 848, 920, 938, 943, 1008, 1014, Sc. 36, 46, 217, 251, 291, 310, 384, 433, Op. 49, 489, Fr. 36,1, 148,1,3, 211,1; διά Op. 516, Fr. 65,2, δίχα Op. 167, εἵνεκα Th. 516, ἕνεκα Th. 983, Sc. 82, Op. 163, 165, ἔνθα Th. 303, 330, 621, Sc. 14, 335, 413, Op. 166, Fr. 81, ἔξοχα Op. 773, ἔπειτα Th. 897, Sc. 332, 347, 424, Op. 174, 616, Fr. 117,3, ἦκα Th. 547, ἵνα Th. 275, Op. 546, 632, κατά Sc. 315, Op. 100, 137, 160, 428, 428, 460, μάλα Th. 419, 623, Sc. 427, Op. 204, 701, 762, 782, 806, Fr. 221, μετά Th. 137, 381, 394, 449, 450, 592, Sc. 2, 229, 248, Op. 230, 444, 447, 568, 820, οὕνεκα

ε vocalis eliditur: A) in nominum declinatione duodevicies [1].

B) in verborum coniugatione tricies octies [2].

C) in vocibus indeclinabilibus millies tricies octies [3].

ι vocalis elisione summovetur: A) in nominum declinatione septies [4].

B) in verborum coniugatione quindecies: [5].

Th. 144, 197, 534, Op. 517, ὄφρα Th. 128, 530, 645, Op. 260, 341, 544, 625, παρά Th. 434, 967, 994, 1019, Op. 171, Fr. 34,3, 98,1, ῥά Th. 58, 177, 268, 328, 551, 783, 888, 1000, Sc. 453, 473, Op. 258, 422, Fr. 100,2, 142,1, ῥίμφα Sc. 342, τάχα Th. 490, τοὔνεκα Op. 49.

Addimus substantivum indeclinabile λίπα Op. 522.

[1] in vocandi casu: ἀριδείκετε Th. 543, δαιμόνιε Th. 655, Ἠθεῖε Sc. 103;

in dualis num. primo casu: προλιπόντε Op. 199;

in pronominum formis: ἐμέ Op. 396, μέ Th. 33, Op. 662, Fr. 188,1, σέ Op. 28, 208, 300, 403, 462, 555, 605, 687, 709; σφέ Sc. 62; Op. 709 Rz., codicem E secutus, legit: εἰ δέ σ' ὅ γ' ἄρχει. Alii: εἰ δέ σέ γ' ἄρχει. Scilicet alterum participium, quod praebet v. 710, ἔρξας, non prius, εἰπών (ἤ τι ἔπος εἰπὼν ἀποθύμιον ἠὲ καὶ ἔρξας) hoc pronomen regit, quare non debemus cogitare de elisa diphthongo -οι (εἰπών σοι), quae nusquam apud Hesiodum elisione summovetur. Eodem modo v. 605 quartum casum agnoscimus (ἀφαιρεῖν τινά τι).

[2] in tertia sing. num. pers. indic.: βάλλε Sc. 254, δῶκε Sc. 400, Fr. 157,1, ἔδακε Op. 451, ἔθρεψε Fr. 40,2, (vide pag. 61, n. 1.) εἶχε Op. 89, ἔκλεψε Op. 51, ἐξάγαγε Th. 586, ἐξετέλεσσε Th. 403, ἔπορε Fr. 225,2, ἔριπε Sc. 423, ἐσκέδασε Op. 95, ἔτεκε Th. 60, 295, 383, ἔτραπε Sc. 456, ἔχε Th. 588, Sc. 159, ἤλασε Sc. 419, ἤνωξε Sc. 479, ἴδε Th. 569, κάββαλε Th. 189, κέρασε Fr. 265, οἶδε Op. 456, ὀνόμηνε Fr. 142,2, οὔτασε Sc. 461, πεῖθε Sc. 450, πλωΐζεσκε Op. 634, ποίησε Op. 144, ῥοίζεσκε Th. 835, τέκε Th. 133, Fr. 13, τίκτε Th. 381, φεῦγε Fr. 155,3;

in secunda pers. imper.: sing. num.: ἔεργε Op. 335, ἔχε Sc. 95; plur. num.: εἴπατε Th. 115, χαίρετε Th. 963.

[3] ἄλαδε Op. 631, ἔνερθε Th. 720, ἔραζε Sc. 174, 268, πεδίονδε Sc. 378, πρόσθε Th. 746, Sc. 277, 284, τεῖδε Op. 635:

in γε, δέ, κε, τε et compositis (αὖτε, εὖτε, ἠδέ, ἰδέ, οὐδέ, ποτέ, τότε etc.);

in Th. trecenties octogies quinquies;

in Sc. centies nonagies octies;

in Op. trecenties sexagies septies;

in Fr. undeoctogies.

[4] Ἑλικωνιάδεσσι Op. 658, κτήμασι Op. 34, ποσί Sc. 373 (de hoc versu velim adeas Rzachii comment. criticum), ποσσί Th. 3; accedit pronominis forma σφί Sc. 325, 404, Fr. 117,2.

[5] in indic.: in prima pers. sing.: αἴνημι Op. 683;

in tertia pers.; εἶσι Th. 972, ἐστί Th. 386, 720, 869, Sc. 85, Op. 754;

in tertia pers. plur.: δύνουσι Sc. 151, καίουσι Th. 557, καλέουσι Th. 187, ναιετάουσι Op. 389, φρίσσουσι Op. 512;

C) in vocibus indeclinabilibus quinquagies quinquies [1].

ο vocalis elisione summovetur: A) in τοῦτο Op. 362, Fr. 142,2; B) in verborum coniugatione sexagies sexies [2]; C) in praepositionibus quinquagies bis [3];

αι diphthongum elisione omittunt haec verba: in tertia pers. sing.: ἀλιταίνηται Op. 330 (ubi libri ἀλιταίνεται, ultima correpta), γηρύεται Op. 260, ἡγῆται Op. 712, καταχεύεται Op. 583 [quo in versu forsitan quis cogitet de corripienda ultima syllaba, de voce excipiente per synizesin efferenda: καταχεύεται ἀοιδήν (= ᾠδήν); confer ea, quae pagg. 38,39, disputavimus de Th. v. 48], λῃίζεται Op. 702; in infin.: ἄγεσθαι Op. 800, ἄρχεσθαι Op. 384, φράσσασθαι Sc. 218.

Elisiones igitur sunt in Th. sexcentae triginta octo;
in Sc. trecentae viginti;
in Op. quingentae quinquaginta quinque;
in Fr. centum duodetriginta.

---

in coniunct.: ἐθέλῃσι Op. 268, ἴσχωσι Op. 625;
in imper: τέτλαθι Op. 718.

[1] in praepositionibus: ἄγχι Op. 639, ἀμφί Th. 848, Sc. 128, 159, 200, Op. 205, ἀντί Th. 585, 602, Op. 334, 727, ἐπί Th. 146, 187, 290, 523, 622, 684, 781, 816, 823, Sc. 136, 213, 317, 375, 379, 406, 412, 436, 458, Op. 34, 43, 102, 125, 255, 363, 382, 396, 487, 559, 574, 624, 646, 654, 692, 745, 750, 755, 801, Fr. 143,1, 156,5, 194,2. Accedunt particulae ἔτι Th. 531, 666, Op. 157, μηκέτι Op. 174, οὐκέτι Sc. 50.

[2] in indic.: in tertia pers. sing.: ἄητο Sc. 8, ἀπελείβετο Sc. 174, 268, γείνατο Th. 185, 374, 920, 924, 962, 1007, 1012, γένετο Th. 115, 116, 512, γέντο Th. 283, γίγνετο Sc. 404, ἐξίκετο Sc. 471, ἐπετέλλετο Sc. 94, ἔπλητο Th. 193, ἔρυτο Th. 304, ἔσσυτο Sc. 458, ἐστάλατο Sc. 288, ἐτρέφετο Op. 131, ἔφατο Th. 395, Sc. 368, 450, Op. 59, 69, 212, ἐφράσατο Op. 86, ἡγάγετο Th. 266, 410, θέτο Th. 937, 953, ἵκετο Th. 285, 685, καββάλετο Sc. 130, κεῖτο Sc. 227, λείπετο Th. 490, μετεστοναχίζετο Sc. 92, πελεμίζετο Th. 842 ποιήσατο Th. 921, 946, 948, 999, Fr. 114, τέκετο Fr. 40,1, 122,1, φάτο Th. 664, φέρετο' Th. 190, χώσατο Fr. 109,2, ὦρτο Th. 990, Sc. 40;

in tert. pers. plur.: ἀπηωρεῦντο Sc. 234, ἐκέλοντο Th. 33, ἕσποντο Sc. 26, ἥγοντο Sc. 274, μάρναντο Sc. 242, νίσσοντο Sc. 469, προγένοντο Sc. 345, τέρποντο Op. 115, φθέγγοντο Th. 831; accedit ἧατο Th. 622.

in optat.: ἀπόλοιτο Op. 348, ἵκοιτο Th. 741; πίλναιντο Th. 703;

in imper.: ἵστασο Sc. 449.

[3] ἀπό Th. 57, 62, 150, 189, 191, 302, 414, 425, 609, 632, 633, 671, 689, 689, 820, 855, Sc. 30, 275, 370, 374, 384, 392, 468, Op. 28, 169, 315, 548, Fr. 109,2; ὑπό Th. 517, 615, 681, 827, 842, 844, 849, 863, 866, 911, 1000, Sc. 43, 63, 281, 282, 283, 299, 341, 367, 377, 382, Op. 15, 162, 215.

Unde apparet Th. minus quam Sc. aut Op. elisionem frequentare. In illo enim carmine e centenis versibus sexageni bini fere singula elisionis exempla exhibent, in horum utroque sexageni fere septeni.

ε vocalis ceteris longe saepius elisione summovetur; nam milies octogies septies elisionem patitur: quadringenties quinquies in Th., ducenties sexies in Sc., trecenties undenonagies in Op., octogies septies in Fr. Quorum elisionis exemplorum longe maior pars exstant in vocibus monosyllabis δέ, τε, et quae ex iis sunt compositae. Hae enim particulae exhibent mille viginti duo exempla. Tum sequitur α, quae vocalis trecenties undequinquagies elisionem patitur, deinde ο, quae centum et viginti exhibet elisionis exempla; rarius elisa est vocalis ι, septuagies septies; αι diphthongum elisam non agnoscit Th., Sc. autem semel, Op. septies. Sc. et Op. audacius quam Th. elisione uti videntur. Nam vocalis ι, quae magis invita, quam α, ε, ο, elisionem ferre videtur, saepius in Op. et Sc. quam in Th. elisione est sublata: quum enim Th. vicies semel hanc vocalem elisione summoveat, Sc. duodevicies, Op. tricies quater eam elisione summovent, i. e. duplo fere saepius.

Praeter sexti pedis thesin, nulla versus incisio non accipit elisionem. Sed multum inter se differunt sedes. Aliae enim facilius, aliae minus facile elisionem accipere videntur. Quas si ad elisionum frequentiam disponimus, apparet nobis occurrere elisionis exempla

in	I:a	diaeresi	Th.	177,	Sc.	63,	Op.	111	=	351
„	I:a	mascula caes.	„	84,	„	54,	„	82	=	220
„	II:a	mascula caes.	„	69,	„	30,	„	62	=	161
„	III:a	diaeresi	„	56,	„	42,	„	56	=	154
„	V:a	mascula caes.	„	41,	„	22,	„	44	=	107
„	I:a	trochaica caes.	„	43,	„	23,	„	28	=	94
„	IV:a	mascula caes.	„	43,	„	18,	„	31	=	92
„	V:a	trochaica „	„	41,	„	15,	„	27	=	83
„	III:a	mascula „	„	17,	„	17,	„	23	=	57
„	IV:a	diaeresi	„	18,	„	8,	„	26	=	52
„	III:a	trochaica caes.	„	15,	„	7,	„	17	=	39
„	II:a	diaeresi	„	7,	„	10,	„	17	=	34
„	II:a	trochaica caes.	„	17,	„	4,	„	11	=	32
„	V:a	diaeresi	„	9,	„	6,	„	15	=	30
„	IV:a	trochaica caes.	„	1,	„	1,	„	5	=	7

Unde apparet caesuras, quo infirmiores sint, eo plures omnino exhibere elisiones, quo firmiores, eo pauciores. Quod apertius etiam emergit, si, quot incisiones e centenis in elisione positae sint, quaerimus. Collatis tabellis, quae exstant pag. 14, et numeris supra positis, invenimus e centenis incisionibus

in	I:a	mascula caes.	44	in	elisione	exstare
„	III:a	diaeresi	33	„	„	„
„	I:a	„	32	„	„	„
„	V:a	mascula caes.	21	„	„	„
„	I:a	trochaica „	16	„	„	„
„	II:a	„ „	13	„	„	„
„	II:a	mascula „	13	„	„	„
„	IV:a	trochaica „	12	„	„	„
„	II:a	diaeresi	10	„	„	„
„	V:a	trochaica caes.	9	„	„	„
„	IV:a	mascula „	8	„	„	„
„	V:a	diaeresi	5	„	„	„
„	III:a	mascula caes.	5	„	„	„
„	IV:a	diaeresi	4	„	„	„
„	III:a	trochaica caes.	3	„	„	„

Unde apparet tres firmissimas caesuras, semiquinariam, bucolicam, tertiam trochaicam, easdem ceteris magis elisiones fugere [1].

Observare etiam licet non multum abesse, quin primus pes, cuius caesurae versus elegantiam non admodum augent, dimidiam partem elisionum exhibeat; e centenis enim nobis in hoc pede occurrunt quadragenae quaternae [2].

[1] Inter bucolicam dactyli et spondei id intercedit discrimen, ut e C:enis incisionibus in illa ternae, in hac denae in elisione sint positae. Semiquinaria spondaica (vide pag. 34, n. 3) quaternas, dactylica senas fere e centenis in elisione collocat.

[2] In I:o pede: 44,0; in II:o: 15,0; in III: 16,5; in IV:o 10,0; in V:o 14,5. Silentio non licet praeterire pedes vario modo incisionibus abundare. Cuius variantis abundantiae si rationem habemus, apparet

in	I:o	pede	e	C:enis	incisionibus	31	in	elisione	esse:
„	II:o	„	„	„	„	12	„	„	„
„	V:o	„	„	„	„	10	„	„	„
„	III:o	„	„	„	„	9	„	„	„
„	IV:o	„	„	„	„	6	„	„	„

Si iure docuimus elisionem ad minuendam incisionis vim valere, interpunctionem autem eam firmare, debent incisiones, quae in elisione positae sunt, rarius quam quae elisionem non exhibent in interpunctione exstare. Quod etiam observare licet. Quum enim e comparatione incisionum (pag. 14) et interpunctionum (pag. 48, sqq.) emergat decimam fere quamque incisionem in interpunctione poni, comparatio inter interpunctiones et elisiones instituta undevicesimam fere quamque elisionem in interpunctione collocatam esse docet [1].

Nunc, elisione examinata, sequitur ut annotemus hiatus, qui fiunt inter breves vocales finales et vocales excipientes [2].

In hiatibus annotandis eo utemur ordine, ut primum afferantur, qui in tertia trochaica aut in bucolica caesura positi sunt, utpote qui e caesurarum firmitate excusationem aliquam sibi petant. Tum sequentur ce-

---

Quod quartus pes omnium rarissimas exhibet elisiones, ex ea re pendet, quod semiseptenaria et bucolica perquam firmae sunt caesurae, infirmissima quarta trochaica eadem rarissima est.

Elisiones in primo pede quam minime molestas esse inde etiam elucet, quod sunt in eo loco dactyli, qui eius modi ternas exhibeant, ut Th. 330, 466, 633, Sc. 374, 384; eius modi exemplum e ceteris pedibus unum tantum deprehendi, Th. 689, in tertio dactylo.

[1] Hae elisiones in interpunctione positae sunt:

in I:a thesi: Th. 283, 426, 853.
„ II:a „ Th. 79, 199, 215, 252, 403, 435, 741, 937, 977, Sc. 110.
„ III:a „ Th. 127, 835, Sc. 174, 218, 255, 268, 309, 479, Op. 24, 144, 268, 348, 389, 456, 512.
„ IV:a „ Th. 149, Op. 774.
„ V:a „ Op. 89. Libris vaccillantibus, in hac clausula legendum est aut εἶχε, νόησε aut εἶχ', ἐνόησε. Hoc iure editores exarant, quum alterum exemplum interpunctionis in quinta trochaica caesura positae non exstet apud Hesiodum. Confer pag. 50, sqq.
„ I:o troch.: Th. 392, 490, 582, 664.
„ III:o „ Th. 115.
post I:um spondeum: Th. 28, 187, 193, 231, 274, 372, 377, 473, 703, 904, 1011, Sc. 26, 103, 242, 245, 469, Op. 209, 210, 641, 683, 692.
„ I:um dactylum: Th. 108, 395, 419, 586, 655, 739, 740 810, Sc. 288, 421, 423, 450, Op. 59, 69, 86, 95, 268, 314, 762.
„ IV:um „ Th. 116, 778, Op. 37.

[2] Apparet hiatus illiciti nomine non teneri eum vocalium concursum, qui fit inter vocales, quarum priorem non licet elisione summovere. Quo pertinent imprimis voces, quae in duas breves vocales exeuntes posteriorem iam elisione summoverunt, ut οἰκί' ἔχουσιν Th. 64, etc. Cuius rei exempla iam annotata sunt inter elisiones.

teri, excusatione magis destituti, secundum sedes, quas in versu occupant, dispositi [1].

In tertia trochaica caesura hi inveniuntur hiatus:

Th. 19: Λητώ τ' Ἰαπετόν τε ἰδέ·
255: Κυμώ τ' Ἠιόνη τε ἐΰστέφανος·
264: κοῦραι πεντήκοντα, ἀμύμονα·
549: τῶνδ' ἕλευ, ὁπποτέρην σε ἐνί·
605: χήτεϊ γηροκόμοιο, ὅ γ'·
855: πλῆξεν ἀπ' Οὐλύμποιο ἐπάλμενος·
Sc. 354: ἐς Κήυκα ἄνακτα· ὁ γὰρ δυνάμι·
Fr. 14,3: Φαιώ θ' ἱμερόεσσα ἰδ' Εὐδώρη·
232: Αἰθίοπάς τε Λίγυς τε ἰδέ [2].

Caesura bucolica hos praebet hiatus:

Th. 84: τοῦ δ' ἔπε' ἐκ στόματος ῥεῖ μείλιχα· οἱ δέ νυ λαοί·
182: ἐξοπίσω· τὰ μὲν οὔ τι ἐτώσια ἔκφυγε χειρός·
423: οὐδέ τί μιν Κρονίδης ἐβιήσατο, οὐδέ τ' ἀπηύρα·
Sc. 108: ἀλλ' ἄγε δύσεο τεύχε' ἀρήια, ὄφρα τάχιστα·
345: τοὶ δ' ἄμυδις προγένοντ' ἴκελοι πυρὶ ἠὲ θυέλλῃ·
Op. 338: ἄλλοτε δὲ σπονδῇσι θύεσσί τε ἱλάσκεσθαι·
550: ὅς τε ἀρυσσάμενος ποταμῶν ἄπο ἀεναόντων·
562: ἰσοῦσθαι νύκτας τε καὶ ἤματα, εἰς ὅ κεν αὖτις·
Fr. 4,1: Ἐκ τοῦ δ' ὅρκον ἔθηκεν ἀπήμονα ἀνθρώποισι [3].

---

[1] Eos omitto hiatus, qui in contextu Rzachiano inde orti sunt, quod ν parag. omisit editor, iis scilicet locis, qui digammo instructi fuisse creduntur, ut Th. 584: ζώοισι(ν) ἐοικότα.

[2] Accedunt hi hiatus, quorum mentio infra facienda erit, in parte, quae in digammo Hesiodeo versabitur:

Th. 151: ἄπλαστοι, κεφαλαὶ δὲ (ϝ)εκάστῳ·
182: ἐξοπίσω· τὰ μὲν οὔ τι (ϝ)ετώσια·
349: Πειθώ τ' Ἀδμήτη τε (ϝ)Ἰάνθη·
352: Ζευξώ τε Κλυτίη τε (ϝ)Ἰδυῖα·
401: παῖδας δ' ἤματα πάντα (ϝ)ἑο·
464: οὕνεκά οἱ πέπρωτο (ϝ)ἑῷ·
660: ἠλύθομεν, Κρόνου υἱὲ (ϝ)ἄναξ·
672: πᾶσιν ὁμῶς, κεφαλαὶ δὲ (ϝ)εκάστῳ·
926: πότνιαν, ᾗ κέλαδοί τε (ϝ)ἇδον.
Sc. 45: ἀσπασίως τε φίλως τε (ϝ)ἑόν·
166: στίγματα δ' ὡς ἐπέφαντο (ϝ)ἰδεῖν·
385: σῆμα τιθεὶς πολέμοιο (ϝ)ἑῷ·
Op. 21: εἰς ἕτερον γάρ τίς τε (ϝ)ἰδών·
328: ὅς τε κασιγνήτοιο (ϝ)ἑοῦ·
610: οὐρανόν, Ἀρκτοῦρον δὲ (ϝ)ἴδῃ.

[3] Th. 65: ἐν θαλίῃς· ἐρατὴν δὲ διὰ στόμα (ϝ)ὄσσαν ἱεῖσαι·
89: βλαπτομένοις ἀγορῆφι μετάτροπα (ϝ)ἔργα τελεῦσι·
126: Γαῖα δέ τοι πρῶτον μὲν ἐγείνατο (ϝ)ἶσον ἑαυτῇ·
264: κοῦραι πεντήκοντα, ἀμύμονα (ϝ)ἔργα ἰδυῖαι·

Exstant igitur in tertia trochaica caesura novem hiatus, quorum sex in Th., unus in Sc., duo in Fr., in bucolica novem, quorum in Th. tres, in Sc. duo, in Op. tres, in Fr. unus. Sunt, qui excusationem, quam praebet caesura, altera excusatione augeant.

Ex iis, qui in tertia trochaica caesura inveniuntur, tres: Th. 264, 605, Sc. 354, caesurae vim augent interpunctione. Th. 855 altera inde excusatio accedit, quod non licet, opinor, elisione summovere ο finalem exitus gignendi casus -οιο; quae excusandi causa Th. 605 additur interpunctioni. At non dubitatur, quin sola caesurae firmae excusatione utantur Th. 19, 255, 549, Fr. 14,3, 232; sed dubitationem de recta legendi ratione movent tres illi hiatus, qui ante particulam ἰδ(έ) nobis occurrunt. Quae particula admodum raro exstat apud Hesiodum [1]. Jam Bentleyo, teste Rzachio, visum est τ' ἠδέ pro τε ἰδέ legendum esse Th. 19, id quod etiam mihi placet. Codicum auctoritas fere nulla est. Quod ad Fr. 14,3 attinet, lectio vulgata, quae est:

Φαιώ θ' ἱμερόεσσα καὶ Εὐδώρη τανύπεπλος (ἱμερόεσσ' ἠδ'?)

magis mihi videtur congruere cum epicorum usu loquendi. In Fr. 232 equidem apertissimum deprehendo iotacismi vestigium. Codices praebent:

524: ἤσθιεν ἀθάνατον, τὸ δ' ἀέξετο (Ϝ)ῖσον ἁπάντῃ·
603: ὅς κε γάμον φεύγων καὶ μέρμερα (Ϝ)ἔργα γυναικῶν·
677: προφρονέως, χειρῶν τε βίης θ' ἅμα (Ϝ)ἔργον ἔφαινον·
692: χειρὸς ἄπο στιβαρῆς, ἱερὴν φλόγα (Ϝ)ειλυφόωντες·
965: νῦν δὲ θεάων φῦλον ἀείσατε, (Ϝ)ἡδυέπειαι·
1021: νῦν δὲ γυναικῶν φῦλον ἀείσατε, (Ϝ)ἡδυέπειαι·
Sc. 38: ἐκτελέσας μέγα ἔργον ἀφίκετο (Ϝ)ὅνδε δόμονδε·
355: Τρηχῖνος προβέβηκε, σὺ δ' εὖ μάλα (Ϝ)οἶσθα καὶ αὐτός·
Op. 20: ἥ τε καὶ ἀπάλαμόν περ ὅμως ἐπὶ (Ϝ)ἔργον ἐγείρει.
43: ῥηιδίως γάρ κεν καὶ ἐπ' ἤματι (Ϝ)ἐργάσσαιο·
231: οὐδ' ἀάτη, θαλίῃς δὲ μεμηλότα (Ϝ)ἔργα νέμονται·
352: Μὴ κακὰ κερδαίνειν· κακὰ κέρδεα (Ϝ)ῖσ' ἀάτῃσι·
495: ἰσχάνει, ἔνθα κ' ἄοκνος ἀνὴρ μέγα (Ϝ)οἶκον ὀφέλλοι·
498: πολλὰ δ' ἀεργὸς ἀνήρ, κενεὴν ἐπὶ (Ϝ)ἐλπίδα μίμνων·
622: καὶ τότε μηκέτι νῆας ἔχειν ἐνὶ (Ϝ)οἴνοπι πόντῳ·
695: Ὡραῖος δὲ γυναῖκα τεὸν ποτὶ (Ϝ)οἶκον ἄγεσθαι·
773: ἔξοχ' ἀεξομένοιο βροτήσια (Ϝ)ἔργα πένεσθαι·
792: Εἰκάδι δ' ἐν μεγάλῃ, πλέῳ ἤματι, (Ϝ)ἵστορα φῶτα·

[1] Praeter hos locos quater tantum eam inveni, Th. 887, Sc. 19, 185, Op. 740; ἠδέ annotavi duodequinquagies.

λιγυστὶ δὲ Σκύθας κτλ. Quod quin pro λίγυς τ' ἠδέ κτλ. positum sit, non dubito. Confer G.-Fl. in hunc versum (CXC). Longe minus offendere videntur elisiones in hac sede, quam hiatus.

Ex hiatibus, quos caesura bucolica praebet, quattuor in interpunctione positi sunt: Th. 84, 423, Sc. 108, Op. 562. Sc. 345 in hiatu ponit finalem vocalem, quam vix licet elisione summovere, ι in dandi casu: πυρί [1]; Op. 550 nescio an verborum ordo hiatum defendat. Confer pag. 147, n. 1. Sola caesurae vis excusat Th. 182, Op. 338, Fr. 4,1. Neque altera excusatione opus esse satis video, ubi et pedum et vocum accentus versum diducit. Op. 338 tamen cogitare licet de hoc exitu: θύεσσίν θ' ἱλάσκεσθαι; quamquam admodum rara fit versus forma. De ν parag. productionem efficiente, vide Rz., Hesiod. Unters., pag. 34. Fr. 4,1 Rz., ut hiatus tollatur, scribi posse docet ἀναίτιον. Libri praebent ἀμείνονα. Iusto durior mihi videtur hiatus ἀπήμονα ἀνθρώποισι (τοῖς ἀνθρώποις? τοῖσι βροτοῖσι?).

Sequentur hiatus in ceteris caesuris trochaicis obvii:

in I: Th. 297: σπῆϊ ἔνι γλαφυρῷ·
Sc. 214: ἥστο ἀνήρ·
Op. 550: ὅς τε ἀρυσσάμενος· [2]
in II: Fr. 245,1: Νήπιος, ὃς τὰ ἕτοιμα· [3]

---

[1] Confer pag. 152, n. 4, ubi elisionis quaedam exempla annotavimus, quae in eodem casu plur. num. nobis obvia sunt.

[2] Th. 332: ἀλλά (ϝ)έ·
370: οἱ δὲ (ϝ)ἕκαστοι·
420: καί τέ (ϝ)οἱ ὄλβον
509: ἡ δέ (ϝ)οἱ·
907: Τρεῖς δέ (ϝ)οἱ·
949: τὴν δέ (ϝ)οἱ·
Sc. 68: ἀλλά (ϝ)οἱ·
318: θαῦμα (ϝ)ἰδεῖν·
Op. 9: κλῦθι (ϝ)ἰδών·
267: Πάντα (ϝ)ἰδών·
526: οὐδέ (ϝ)οἱ·
710: ἤ τι (ϝ)ἔπος·

[3] Th. 82: γεινόμενόν τε (ϝ)ἴδωσι·
493: ηὔξετο τοῖο (ϝ)ἄνακτος·
843: ὀρνυμένοιο (ϝ)ἄνακτος·

Th. 887: πλεῖστα θεῶν τε (ϝ)ἰδυῖαν·
Sc. 179: Καινέα τ' ἀμφὶ (ϝ)ἄνακτα·
330: ἄλλο δέ τοί τι (ϝ)ἔπος·
354: ἐς Κήυκα (ϝ)ἄνακτα·
359: ἤδη μέν τέ (ϝ)ἑ φημι·
411: ἐσσυμένως δέ (ϝ)οἱ·
432: ἔτλη ἐσάντα (ϝ)ἰδών·
445: δεινὰ δ' ὑπόδρα (ϝ)ἰδοῦσ'·
Op. 40: Νήπιοι, οὐδὲ (ϝ)ἴσασιν·
521: οὔ πω ἔργα (ϝ)ἰδυῖα·
534: οὗ τ' ἐπὶ νῶτα (ϝ)ἔαγε·
814: Παῦροι δ' αὖτε (ϝ)ἴσασι·
Fr. 5,3: ἀκάματον δέ (ϝ)οἱ
154,3: Ἱπποτάδην τέ (ϝ)οἱ·
182,1: Εὖ νῦν μοι τὰ (ϝ)ἕκαστα·
214,2: ἀθανάτων τέ (ϝ)οἱ·

Quarta caesura trochaica nullum praebet exemplum praeter ea, quae forsitan digammo hiatum tollant [1]; neque quinta [2].

Caesurae dactylicae, omissa bucolica, praeter quintam hiatus non exhibent digammi excusatione destitutos [3]. In quinta autem quattuor nobis occurrunt: Sc. 259: ἀλλ' ἄρα ἥ γε· 294: μεγάλων ἀπὸ ἔργων· Op. 586: ἀφαυρότατοι δέ τε ἄνδρες· 713: ἄλλοτε ἄλλον.

---

[1] Th. 412: Ζεὺς Κρονίδης τίμησε· πόρεν δέ (ϝ)οί·
418: κικλήσκει Ἑκάτην· πολλή τέ (ϝ)οί·
482: πρώτην ἐς Λύκτον· κρύψεν δέ (ϝ)έ·
567: ἐν κοίλῳ νάρθηκι· δάκεν δέ (ϝ)έ·
798: στρωτοῖς ἐν λεχέεσσι, κακὸν δέ (ϝ)έ·
974: τὸν δ' ἀφνειὸν ἔθηκε, πολύν τέ (ϝ)οί·
Sc. 85: ἣ δίκη ἔσθ' ἱκέτῃσι, τίον δέ (ϝ)έ·
116: θυμῷ γηθήσας· μάλα γάρ νύ (ϝ)οί·
439: ἔρχεται ἐμμεμαυῖα, πάγος δέ (ϝ)οί·
Fr. 157,2: ὅς τις ἄδην πίνει, οἶνος δέ (ϝ)οί·
4: δεσμοῖς ἀφράστοισι· φιλεῖ δέ (ϝ)έ·

[2] Th. 73: εὖ δὲ (ϝ)έκαστα·
264: ἔργα (ϝ)ιδυῖαι.
295: οὐδὲ(ν libri) (ϝ)εοικός·
313: λυγρὰ (ϝ)ιδυῖαν·
347: Ἀπόλλωνι (ϝ)άνακτι·
393: τιμὴν δὲ (ϝ)έκαστον·
403: ἠδὲ (ϝ)ανάσσει·
575: θαῦμα (ϝ)ιδέσθαι·
581: θαῦμα (ϝ)ιδέσθαι·
682: αἰπεῖα (ϝ)ιωή·
764: χάλκεον δέ (ϝ)οί ἦτορ·
824: ἐκ δέ (ϝ)οί ὤμων·
826: ἐκ δέ (ϝ)οί ὄσσων·
859: τοῖο (ϝ)άνακτος·
883: ἠδὲ (ϝ)ανάσσειν·
932: πατρὶ (ϝ)άνακτι·
985: Ἠμαθίωνα (ϝ)άνακτα.
Sc. 15: οὐδέ (ϝ)οί ἦεν·
100: ἑκατηβελέταο (ϝ)άνακτος·
140: θαῦμα (ϝ)ιδέσθαι·
Sc. 215: ἀπορρίψοντι (ϝ)εοικώς.
224: θαῦμα (ϝ)ιδέσθαι·
228: ἐρρίγοντι (ϝ)εοικώς·
283: αὐλητῆρι (ϝ)έκαστος·
299: αὐλητῆρι (ϝ)έκαστος·
314: πλήθοντι (ϝ)εοικώς·
371: Ἐνυαλίοιο (ϝ)άνακτος.
390: λαμπετόωντι (ϝ)είκτον·
Op. 4: μεγάλοιο (ϝ)έκητι.
62: εἰς ὦπα (ϝ)εΐσκειν·
69: Κρονίωνι (ϝ)άνακτι.
268: οὐδέ (ϝ)έ λήθει·
475: καί σε (ϝ)έολπα·
824: παῦροι δὲ (ϝ)ἴσασιν.
Fr. 5,3: οὐδέ (ϝ)οί ὕπνος·
33,4: θαῦμα (ϝ)ιδέσθαι·
45,2: Βήλοιο (ϝ)άνακτος·
174,4: χρυσοζώνοιο (ϝ)ανάσσης.
226: Ποταμῷ ῥείοντι (ϝ)εοικώς.

Quod ad Th. 399 attinet, ubi libri exhibent δῶρα δέδωκεν, editores plerique δῶρα ἔδωκεν, non dubium est, quin iure G.-Fl., Rz., Scheerium secuti, δῶρ' ἀπέδωκεν exarent.

[3] At hiatus, qui forsitan digammo summoveantur, eo plures sunt. In I:a dactylica caesura exstant:
Th. 301: ἔνθα δέ (ϝ)οί·
303: ἔνθ' ἄρα (ϝ)οί·
332: ἀλλά ἑ (ϝ)ῖς·
464: οὕνεκά (ϝ)οί·
576: ἀμφὶ δέ (ϝ)οί·
578: ἀμφὶ δέ (ϝ)οί·
784: Ζεὺς δέ τε (ϝ)Ἶριν·
961: ἡ δέ νύ (ϝ)οί·

Trochaicae caesurae igitur, omissa tertia, cuius mentio supra facta est, exhibent secundum edit. Rzachianam octoginta quinque hiatus, quorum

in prima exstant quindecim;
„ secunda „ viginti;
„ quarta „ undecim;
„ quinta „ undequadraginta;

Sc. 23: τῷ δ' ἅμα (ϝ)ιέμενοι· (Confer Meyeri Gr. Gr., § 217).
54: τὸν δ' ἄρα (ϝ)'Ιφικλῆα·
Op. 73: ἀμφὶ δέ (ϝ)οἱ·
76: πάντα δέ (ϝ)οἱ·
77: ἐν δ' ἄρα (ϝ)οἱ·
125: ἠέρα (ϝ)εσσάμενοι·
223: ἠέρα (ϝ)εσσάμενοι·
255: ἠέρα (ϝ)εσσάμενοι·
536: καὶ τότε (ϝ)έσσασθαι·
Fr. 38,1: Ἦδε δέ (ϝ)οἱ·
in II:a Th. 392: εἶπε δ', ὅς ἂν μετὰ (ϝ)εἷο·
836: καί νύ κεν ἔπλετο (ϝ)ἔργον·
940: Καδμείη δ' ἄρα (ϝ)οἱ·
954: ὄλβιος, ὃς μέγα (ϝ)ἔργον·
Sc. 22: ἐκτελέσαι μέγα (ϝ)ἔργον.
38: ἐκτελέσας μέγα (ϝ)ἔργον·
297: χρύσεος ἦν, κλυτὰ (ϝ)ἔργα·
313: χρύσειος, κλυτὰ (ϝ)ἔργα·
390: λείβεται, ὅσσε δέ (ϝ)οἱ·
423: ὥς ἔριπ'· ἀμφὶ δέ (ϝ)οἱ·
435: ἐσσυμένως· ὁ δέ (ϝ)οἱ·
Op. 440: ἄξειαν, τὸ δὲ (ϝ)ἔργον·
in III:a Sc. 22: ἐκτελέσαι μέγα ἔργον, ὅ (ϝ)οἱ·
451: ἀλλὰ μέγα ἰάχων φλογὶ (ϝ)εἴκελα·
Op. 314: δαίμονι δ', οἷος ἔησθα, τὸ (ϝ)ἐργάζεσθαι·
552: ἄλλοτε μέν θ' ὕει ποτὶ (ϝ)έσπερον·
778: ἤματος ἐκ πλείου, ὅτε (ϝ)ἴδρις·
Fr. 250: ὃ (ϝ)ειπόντος (?).
in V:a Th. 153: μεγάλῳ ἐπὶ (ϝ)εἴδει.
158: ἐπετέρπετο (ϝ)ἔργῳ·
166: μήσατο (ϝ)ἔργα.
172: μήσατο (ϝ)ἔργα.
236: δήνεα (ϝ)οἶδεν.

545: μήδεα (ϝ)ειδώς = vv. 559, 566;
710: ἀνεφαίνετο (ϝ)ἔργων·
780: ὠκέα (ϝ)Ἶρις·
Sc. 34: θέσκελα (ϝ)ἔργα·
116: ἄρμενα (ϝ)εἶπε·
165: θαυματὰ (ϝ)ἔργα.
279: ἄγνυτο (ϝ)ἠχώ·
348: ἄγνυτο (ϝ)ἠχώ.
438: ἡ δέ τε (ϝ)ἠχῇ·
Op. 54: μήδεα (ϝ)ειδώς·
124: σχέτλια (ϝ)ἔργα·
131: ᾧ ἐνὶ (ϝ)οἴκῳ·
150: χάλκεοι δέ τε (ϝ)οἶκοι·
238: σχέτλια (ϝ)ἔργα·
244: μινύθουσι δὲ (ϝ)οἶκοι·
254: σχέτλια (ϝ)ἔργα·
325: μινύθουσι δὲ (ϝ)οἶκον·
409: μινύθῃ δέ τε (ϝ)ἔργον.
422: ὥρια (ϝ)ἔργα.
432: πονησάμενος κατὰ (ϝ)οἶκον·
444: ἀλλ' ἐπὶ (ϝ)ἔργῳ·
494: ἀνέρα (ϝ)ἔργων·
523: ἔνδοθι (ϝ)οἴκου·
549: μακάρων ἐπὶ (ϝ)ἔργοις·
572: οὐκέτι (ϝ)οἰνέων·
601: ἔνδοθε (ϝ)οἴκου·
627: ἐνικάτθεο (ϝ)οἴκῳ·
724: αἴθοπα (ϝ)οἶνον·
731: πεπνυμένα (ϝ)ειδώς·
733: ἔνδοθι (ϝ)οἴκου·
779: προβάλοιτό τε (ϝ)ἔργον.
Fr. 58,3: διὰ (ϝ)εἶδος.
141,2: μήδεα (ϝ)ειδώς·
189,2: μήδεα (ϝ)ἴδμεν·
213,2: φάρμακα (ϝ)οἶδεν.

sed omnes hi hiatus, praeter quattuor: Th. 297, Sc. 214, Op. 550 in prima, Fr. 245,1 in secunda, forsitan e digammo explicandi sint, ut specie, non re hiatus sint. Vel inde videas tertiam trochaicam caesuram longe facilius quam ceteras hiatum ferre, quod, quum hae ex octoginta quinque hiatibus quattuor tantum digammi excusatione destitutos praebeant, in illa ex viginti quattuor decem tantum, ut videtur, digammo summoventur. Sed quattuor illi hiatus inspiciendi sunt.

Th. 297 excusatur et inverso ordine verborum σπῆϊ ἔνι γλαφυρῷ (confer pag. 147, n. 1), et quod elisioni obstat finalis vocalis vocis σπῆϊ.

Op. 550 Paley digammo hiatum summovere conatus est ille quidem, iusto audacior, quum nihil certi de huius vocis initiali spirante cognitum habeamus. Rz. docet Gerhardum coniecisse ἀπαρυσσάμενος, sed nescio an alterum ἀπό admodum molestum sit:

ὅς τ' ἀπαρυσσάμενος ποταμῶν ἄπο ἀεναόντων·

(ὅς τ' ἄρ' ἀρυσσάμενος?)

Fr. 245 Boeckhius coniecit ὅς τά γ' ἕτοιμα, Gaisfordius ὅστις ἕτοιμα. Quum ἀνέτοιμα articulo careat (confer Rzachii commentar. criticum), ipsa concinnitas versus dubium reddit illud τά. Sed difficile est iudicium de recta legendi ratione facere. Fortasse: Νήπιος, ὅς τ' ἂν ἕτοιμα λιπὼν ἀνέτοιμα διώκῃ.

Quod denique attinet ad Sc. 214, non video, unde sibi petat excusationem. Afferre tamen licet primi casus formam ἀνήρ, correpta vocali α, quae praeter hunc versum bis nobis occurrit in Sc., 42, 129, his etiam locis primum trochaeum excipere.

Bucolicam caesuram supra vidimus exhibere triginta unum hiatus dactylicos, quorum novem digammo non excusari exposuimus. Ceterae caesurae dactylicae praebent octoginta duos hiatus; quorum

in prima exstant duodeviginti;
„ secunda „ duodecim;
„ tertia „ sex;
„ quinta „ quadraginta sex.

Sed ex his quattuor tantum digammi excusatione destituti sunt: Sc. 259, 294, Op. 586, 713, in quinta dactylica caesura; unde elucet bucolicam minus quam ceteras caesuras dactylicas invitam hiatus accipere.

Ex iis autem hiatibus, qui digammo non possunt excusari, omni excusandi ratione destitutus videtur Sc. 259; velim adeas Rzachii comment. criticum.; at hiatum, quem praebet Sc. 294: μεγάλων ἀπὸ ὄρχων, cur iudicarem minus offendere, iam saepe indicavi. Confer pag. 147 n. 1. Quod denique attinet ad Op. 586, 713, neuter codicum consensu nititur. Priore loco non pauci libri exarant:

μαχλόταται δὲ γυναῖκες, ἀφαυρότατοι δέ τοι ἄνδρες·

quamquam iis adstipulor, qui τοι pro τε hiatus summovendi causa coniectum esse ducunt. Sed quod hic hiatus primo obtutu non nihil habet, quod offendat, id positum est in ea re, quod saepe observare licet poetam, Homero praeeunte, ut hiatum evitet, λαοί pro ἄνδρες dicere. Imprimis conspicua sunt Fr. exempla ὄρχαμε λαῶν Fr. 7, sed ὄρχαμος ἀνδρῶν Fr. 97,2, ὄρχαμον ἀνδρῶν Fr. 107. Sed etiam aliis locis idem observare licet. Op. 227:


Οἳ δὲ δίκας ξείνοισι καὶ ἐνδήμοισι διδοῦσιν
ἰθείας καὶ μή τι παρεκβαίνουσι δικαίου,
227 τοῖσι τέθηλε πόλις, λαοὶ δ' ἀνθεῦσιν ἐν αὐτῇ·

invenio λαοί pro ἄνδρες positum brevis syllabae producendae causa. Neque, quod ego videam, licet Th. vv. 84 et 88 huic voci significatum tribuere, qui a voce quae est ἄνδρες recedat. Tamen nostro loco non conabor vindicare vocem λαοί. Ut enim credo λαοί pro ἄνδρες poni posse, si magis in universum de hominibus (civibus) oratio est, ita vix crediderim talem mutationem fieri posse, ubi inter se opponuntur ἄνδρες et γυναῖκες, ut nostro loco; quemadmodum, pag. 70, n. 1, censui oppositionem quae est inter πρόβατα et ἀνθρώπους prohibere, quominus hoc mutetur cum voce, quae est βροτός; quare, quin ἄνδρες retineri debeat, non dubito. Hiatum igitur agnosco. Forsitan aliquid excusationis ei offerat id, quod non raro versum claudunt formae vocis ἀνήρ. Confer pag. 120, n. 5.

Neque de hiatu Op. 713: ἄλλοτε ἄλλον, audeo dubitare, inspectis, quae in hunc versum affert Rzach.

Summarium eorum, quae hac Studiorum Hesiodeorum parte continentur.

De his locis recte legendis disputatur.


Gh 46.359
Studia Hesiodea :
Widener Library
006269155
3 2044 085 122 323